Universitätsbibliothek Paderborn

# Annales Ecclesiastici

Jncipiens à Juliano Apostata Jmperatore, perducitur vsque ad obitum Theodosii Augusti: continet annos XXXIV.

**Baronio, Cesare**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

Iesv Christi Annus 372. Damasi Pap. Annus 6. Valentiniani Valentis Impp. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14548

Visual Library

mitibus exhiberi ſolitum iiſdem impertijt, prout eius reſcriptum ſub huius anni Conſulibus ad Viuentium Præfectum Prætorio datum docet: ſic enim ſe habet *a*:

*a l. 75. de Decurion. C. Theod.*

CXXXI. FAVIT VALENTINIANVS SACERDOTIBVS GENTILIVM.

*Qui ad Sacerdotium prouinciæ & principalis honorem gradatim & per ordinem muneribus expeditis, non gratia emendicatiſq; ſuffragiis, & labore peruenerint, probatis actibus, ſi conſona eſt ciuium fama, & publicè ab vniuerſo ordine comprobantur, habeantur immunes, otio fruituri, quod continui laboris teſtimonio promerentur: liberumq; ſit corpus eorum ab his iniuriis, quas honoratos non decet ſuſtinere: Honorem etiam ex Excomitibus addi cenſemus, quem ij conſ. qui ſolent, qui fidem diligentiamq; ſuam in adminiſtrandis rebus publicis approbarint. Dat. IV. Kalend. Iulij Treuer. Gratiano 11. & Probo Coſſ.* & ne quis putet de Sacerdotibus hic agi Chriſtianæ religionis, legat eiuſdem Imperatoris reſcriptum datum item Treueris ſequenti anno ad Probum Vicarium *b*. Sic igitur videas Symmachum, qui Gentiliciæ ſuperſtitionis maiorem gerebat Pontificatũ, iure appellaſſe Valentinianum ſeniorem ritus veteris conſeruatorem: vtpote quod (vt dictum eſt ſuperius, diceturq; alibi pluribus) ipſe Imp. Valentinianus ſiuerit Gentiles pro arbitrio deos colere. Vnde quidem errare eum facile continget, qui legens Prudentij carmen aduerſus Symmachum in fine viderit commendari fidem anteceſſoris Imperatoris, quod vetuerit ſacrificia, cum ait *c*:

*b l. 77. de Decur. C. Theod.*

*c Pruden. l. 2. contr. Symmach.*

*Ille Vrbem vetuit taurorum ſanguine tingi*, putans ad Valentinianum iuniorem eſſe ſermonem illum, quem conſtat dictum eſſe ad Honorium Imperatorem de Theodoſio patre, cuius tempore (vt ſuo loco dicetur) Prudentius aduerſus Symmachum ſcripſit.

---

## IESV CHRISTI
### Annus 372.

DAMASI PAP. Annus 6. VALENTINIANI VALENTIS IMPP. 9.

I. QVALES CONSVLES MODESTVS ET ARINTHEVS.

CHRISTI annus trecenteſimus ſeptuageſimus ſecundus ingreditur vna cum Conſulatu Modeſti atq; Arinthei: amboq; Conſules ex Valentis familia, iidemq; fama notiſſimi, ſed diuerſi inter ſe ſtudijs fuere: nam horum alter Arianus, ad inſequendos Orthodoxos (vt vidimus) Valenti vſui erat; alter vero, nempe Arintheus, pius & de Eccleſia Catholica benemeritus. At qualis hic fuerit, dicamus aliqua, & in primis quæ de eius obitu ex literis *d* S. Baſilij datis ad ipſius coniugem conſolatoriis prodantur, vt cum ait: *Me vero præcipua quædã triſtitia repleuit, recogitantẽ, quo me vir ille ſit honore proſecutus, tum quæ ſit Eccleſiis communiter adempta gubernatio*. nimirum quod Arianis quibuſdam pulſis, his Catholicos ſubrogauit. ac de eodẽ rurſus inferius. *Erat quidem ille honeſtus, magnus, celebris, & animi virtutem robore corporis adæquabat, quod & ipſe fateor, & vtroq; nomine excellebat: attamen homo erat & mortuus eſt ſicut Adam ſicut Abel ſicut Noe ſicut Abraham ſicut Moyſes, & ſi quem alium eiuſdẽ naturæ conſortem nominaueris*. hæc Baſilius. Prævalidus quidem dux erat, de quo plura Ammianus *e*, & inter alia quod exercitu cohibuiſſet Perſas inuadentes Armenos: nam hæc de eo: *Hac clade late diffuſa, Armenia omnis periſſet, ni propugnatoris Arinthei aduentu territi Perſæ eam incurſare denuo diſtuliſſent.*

*d Baſil. ep. 5 in addit.*

*e Ammian. li. 27. in fi.*

II. Per eius vxorem hunc redditum Chriſtianum, inque vitæ fine baptizatum eſſe, idem Baſilius tradit, cum ait *f*: *Deceſſit moriens ſplendide, nec ſenectute decrepitus, nec vlla parte celebritatis ſuæ diminutionem paſſus, ſed magnus adhuc in præſenti hac vita, & magnus in futura, nec ex præſenti ſplendore damni quicquam in futura ac ſperata gloria expertus; propterea quod in ipſo vitæ exitu cunctam maculam lauacro regenerationis accepto purgauit, cuius rei cum illi conciliatrix & operatrix fueris, maximam ex ea conſolationem cape.* &cæt. hæc quidem de Arintheo hoc anno Conſule, Catholicæ Eccleſiæ defenſore.

*f Baſil. ead. epiſt.*

III. TERENTII DVCIS SPECTATA PIETAS.

Quo quidem tempore, magna Dei diſpenſatione, huic ſicut pietate non impar, ita & munere haud inferior Terentius extitit, cui (vt idem Ammianus *g* eſt auctor) duodecim parebant legiones; qui Sancto Baſilio æquè familiariſſimè vſus eſt, vt ex ipſius litteris ad eum datis, de negotiis Eccleſiaſticis cõſtat. Horum Baſilius vallatus præſidio, inuitis non Arianis cæteris tantum, ſed ipſo quoq; Valente Imperatore, nõ ſolum in ſua Eccleſia tutus agebat, ſed & aliis etiam longe poſitis ſuppetias prompte ferebat. At hic opportune egregium facinus eiuſdem ducis maxime pij ex Theodoreto narrare, pergratum erit: ait enim *h*: *Cum Terentius dux longe præſtantiſſimus, & pietatis inſignibus egregiè exornatus, ab Armenia, erectis victoriæ trophæis, reuertiſſet: Valenſq; ei imperaſſet, vti donum aliquid pro labore peteret: ipſeq; donum quod cupiebat, dignum homine pietatis inſtitutis educato Valenti indicaſſet (petebat enim non aurum, non argentum, non agros, non domum, ſed vt vna Eccleſia illis, qui pro doctrina Apoſtolica ſe in diſcrimen obtuliſſent, concederetur) Valens accepto libello ſupplici, & cognitis rebus, quæ in eo continebantur, admodũ ſtomachatus, illum dilacerauit, iuſſitq; vt alias res peteret. Terentius vero collectis laceris libelli particulis: Accepi, inquit, iam abs te, ô Imperator donum, habeoq;, neque aliud petã. Nam quid ego animo inſtituerim, iudicet ille, qui huius vniuerſitatis iudex eſt.* hæc Theodoretus. De Epiſtola autem ad hunc ipſum Terentium à Baſilio ſcripta ſuo loco agemus: nunc vero de tertia eiuſdem Baſilij ad Damaſum Papam & omnes Occidentales Epiſcopos Epiſtola miſſa dicendum.

*g Ammian. lib. 27.*

*h Theod. li. 4. c. 28.*

IV. TERTIA LEGATIO BASILII AD OCCIDENTALES.

Meminiſſe debemus, anno ſuperiori ad datas ab eodẽ Baſilio & aliis Orthodoxis Orientis Epiſcopis ad Damaſum & cæteros Occidentis Antiſtites, ab eiſdẽ officij plenas literas redditas eſſe. At quoniam ſub Ariano Imperatore Ariani magis magiſq; aduerſus Catholicos inſoleſcerent: idem S. Baſilius alios rurſus Legatos in Occidentem mittit; qua quidem legatione quid ab eis ipſe optaret, perſpicue datis litteris ſignificauit, quas pro certiori rerum notitia hic deſcribemus. Deeſt illis germana inſcriptio, ſed tantũ, Ad Occidentales, titulus ponitur, cum tamen primo loco eas ad ipſum Damaſum Romanum Pontificem eſſe conſcriptas, quæ ſuperius dicta ſunt atq; dicentur euidentiſſimè doceant. Litteræ autem ſic ſe habent *i*:

*i Baſil. ep. 74*

V. BASILII EPISTOLA AD OCCIDENTALES.

*Tantum cuiq; veſtrûm Dominus Deus noſter, in quem ſperauimus, largiatur gratiæ, vt propoſita ſpe potiamini, quanto ipſi gaudio pectora noſtra repleſtis, cum per litteras, quas nobis per deſideratiſſimos compresbyteros noſtros ſcripſiſtis, tum ex eo, quod calamitatibus noſtris, tanquam viſcera commiſerationis induti condoletis, quemadmodum nobis prædicti fratres indicarunt. Nam etsi enim vulnera noſtra eodem modo perſeuerant, nonnihil tamen inde releuantur, quod paratos habemus medicos, qui velocem ac maturam poſſunt, ſi detur opportunitas, doloribus noſtris afferre medelam. Quapropter iam denuo vos per dilectos hoſce fratres compellamus & obſecramus, ne, ſi dederit vobis Dominus copiam ac ſecuritatem accedendi, inuiſere nos detrectetis: maximum enim Domini mandatum eſt infirmorum viſitatio. Si vero optimus Deus ac ſapiens vitæ noſtræ moderatur hanc gratiam ad aliud tempus reiecit: ſaltem ſcribite nobis, quæ vos cum ad conſolationem afflictorum, tum ad erectionem confractorum ſcribere decet. Plurimũ enim iam confracta eſt Eccleſia, cuius nomine & nos multum in modum contriſtamur. Non eſt autem quod aliunde opem expectemus, niſi per vos Dominus, à quibus & ſincerè colitur, curationem miſerit.* hæc præfatus Baſilius admonet de Euſtathio Sebaſteno doloſe inter Catholicos agente, cuius ipſe Baſilius (vt anno ſuperiori vidimus) ſimulatione deceptus eidem cõmunicationem fuerat impartitus: qua de cauſa in ſuſpicionẽ haud leuem ac reprehenſionem Orientalium Orthodoxorum Epiſcoporum inciderat. Ne igitur aduerſariorum calumniis eadem infamia laboraret apud Romanum Pontificem & alios Occidentis Epiſcopos, prudenter profecto de Euſtathio meminit, eiuſq; ſcelera commemorans, eiuſdem criminum accuſatorem, agit, atque ait:

VI. *Improba quidem & impudens Arianorum hæreſis manifeſte ab Eccleſiæ corpore diuulſa proprio immoratur errori, parumque*

BASILIVS DIFERT EVSTATHIVM DAMASO ET ALIIS OCCIDENTALIBVS EPISC.

*nos lædit, propterea quod illius impietas omnibus nota eſt. Qui vero ouinam pellem induti, manſuetudinem ac placiditatem externe quidem ſimulant, interne vero gregem Chriſti crudeliter lacerant, & hoc nomine, quod ex noſtro gremio progrediuntur, ſimpliciores facile lædunt: ij ſunt perniocioſi illi. & qui non ita facile caueri poſſunt: quos per veſtram diligentiam omnibus Orientis Eccleſiis publicari ac manifeſtari petimus, vt vel recta gradientes ſincere nobis coniuncti ſint, vel ſi peruerſi eſſe perrexerint, peſtem ſuam ſibi ipſis ſolis contineant, nec poſt hæc per incautam communionem morbum ſuum vicinioribus affricare poſſint.* Puto te, lector, hæc prudenter attendere, maximi ponderis à Baſilio æſtimari iudicium Apoſtolicæ ſedis, ipſius, inquam, Romani Pontificis, cuius ſententia damnari Euſtathium petit, eiusq; iudicij calculum Orientalibus omnibus innoteſcere, cum alioqui deterrimus homo in pluribus Synodis fuerit prędānatus. hæc ſane enixius à Damaſo Baſilius petit, quod probe ſciret, illos omnino ab omnibus eſſe habendos hęreticos, atq; vitandos abſq; aliqua tergiuerſatione vel cōtrouerſia, quos ab Apoſtolicæ primæ ſedis Antiſtite conſtaret eſſe reiectos: nā Synodis aliis aliæ aduerſæ Synodi obijci potuiſſent, & Epiſcopis Epiſcopos contradicere: quod autem à ſummo totius vniuerſalis Eccleſiæ Præſule factum eſſe ſciretur, omnes, niſi qui extra Eccleſiam eſſe vellent, amplecterentur; cum (vt ſæpe ſuperius demonſtratum eſt) eiuſdem Romani Pontificis Formatarum cōmunione, quis Catholicus, quiſve eſſet hæreticus, tantummodo intelligi poſſet. Sed rurſum ibi Baſilius.

VII. EVSTATHII CAVSA AB EXORDIO REPETITA.

*Neceſſarium vero eſt, vt mentionem iſtorum nominatim faciā, vt & ipſi cognoſcatis eos, qui nos cōturbant, & offendicula gignunt, illosq; Eccleſiis veſtris manifeſtos, vt vitari poſſint, faciatis. Quæ enim nos loquimur, multis ſuſpecta ſunt, quaſi propter priuatas quaſdam contentiones metum & puſillanimitatem illis incutere velimus. Vos vero quanto ab his remotiores eſtis, tanto plus apud plebem habetis fidei ad quod & hoc accedit, quod ac curandos oppreſſos adiumento vobis eſt gratia Dei. Quod ſi plures quoque vnanimes eadem decreueritis; manifeſtum eſt, quod multitudo eadem decernentium indubitatam omnibus efficiet dogmatis ſuſceptionem. Eſt itaq; vnus ex illis, qui plurimum excitant turbarum. Euſtathius ex Sebaſtia minoris Armeniæ. Hic olim inſtitutus ab Ario, cum is Alexandriæ florens impias aduerſus vnigenitū Dei blaſphemias ſtrueret, ſectator illius, & inter ſelectiſſimos diſcipulos connumeratus fuit. Poſteaquam vero ad ſuos reuerſus, cum à beatiſſimo Hermogene Cæſareæ Epiſcopo propter impiam opinionem condemnaretur; confeſſionem illi obtulit ſanæ fidei, atque ita manus impoſitionem ab ipſo obtinuit. Vbi vero dormitionem accepit Hermogenes, mox ad Euſebium Conſtantinopolitanum ſeſe contulit* (fuerat hic ante Epiſcopus Nicomediæ) *qui & ipſe nihilominus impium Arij dogma tuetur. Inde poſt quibuſdam de cauſis pulſus, ad patriam ſe recepit, illiq; denuo erroris purgationem obtulit, ſed ita vt celata & obtecta mentis impietate, quandam exhiberet verborum rectitudinem. Mox vero vbi vtcunq; adeptus eſſet Epiſcopatum, anathematiſmum contra homouſion in Synodo Ancira habita ſcripſiſſe deprehenditur, & ex illa ad Seleuciam profectus, cum illis, quos eiuſdem habet opinionis, ea geſſit, quæ omnes nōrunt. Conſtantinopoli vero iterum ad ea, quæ ab hæreticis propoſita ſunt, conſenſit. Atq; ita Epiſcopatu eiectus, propterea quod iam in Melitina Synodo depoſitus eſſet: viam ſibi ipſi, per quam reſtitueretur, excogitauit, eam videlicet, vt ad vos proficiſceretur. Quæ vero ſint illi à beatiſſimo Liberio Epiſcopo propoſita, & ad quæ conſenſerit, nobis clam eſt, niſi quod Epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur: eam vbi Tyanæ Synodo exhibuit, in ſuum locum reſtitutus eſt.*

VIII.

*Iſte quidem iam fidem eam, in qua receptus eſt, depopulatur, cumq; illis facit, qui homouſion anathemate percellunt. Deinde & hæreſi patrocinatur eorum, qui Spiritum ſanctum ſpoliant diuinitate. Quoniam vero iſtinc vires accepit lædendi Eccleſias, ac publicandæ impietatis fiducia, quam vos dediſtis, ad ſubuerſionem multorum vſus eſt: neceſſe eſt, vt iſtinc quoq; veniat malorum iſtorum correctio, ſcribaturq; Eccleſiis, quibus quidem conditionibus ad communionem ſuſceptus ſit: ſimul vero adijciatur, quo modo iam immutata ſententia, gratiam à Patribus, qui tunc erant, acceptam irritam reddat.* hactenus de Euſtathij cauſa Baſilius, qui eadem plane de eodē habet in Epiſtola ad Patrophilum *a*.

a Baſ. ep. 82.

At nemo putet hanc ab eo Epiſtolam ſcriptam, antequā ab ipſo Euſtathius reciperetur, eo quod nullam eius rei faciat mētionem: nam cum hac eadem Epiſtola inter alios damnandum dicat Apollinarem, qui tunc temporis ipſe neſciens communicabat; ſatis perſpectum habetur, illa antea accidiſſe, quam hæc Epiſtola ſcriberetur.

IX.

Tacuit prudenter de Euſtathio Baſilius, quod cōtigit in Nicopolitano conuentu, vbi idem Euſtathius, edita ſinceræ fidei profeſſione, ab ipſo Baſilio ſuſceptus fuit, reclamantibus Orthodoxis, vt anno ſuperiori fuſius dictū eſt: idcirco n. iſta tacuit, quod iam apud Occidentales communicationis cum Euſtathio fuerat in ſuſpicionem adductus: qua vt ſe purgaret, atque oſtenderet Euſtathio præ cæteris aduerſari, tot tantaq; aduerſus eum hac Epiſtola voluit cōgeſſiſſe. Nam ad Euſebium Samoſatenum ipſe ſcribens, hæc de Occidentalium conflata aduerſum ſe ſuſpicione habet *b*: *Senior Euagrius filius Pompiani Antiochenſis, qui quondam migrauit cum Sancto Euſebio verſus Occidentem, rediJt nunc Roma petens à nobis litteras eadem illorum ſcripta ad verbum continentes: Viciſſim retulit, quæ noſtra non probantur à doctoribus, qui illic ſunt, & legationem quandam per viros fide dignos iam adornare, vt coram ſit occaſio nos inuiſendi. Qui noſtram doctrinam profitentur. Sebaſteni Euſtathij improbatæ doctrinæ vlcus retegentes purulentum, petunt à nobis quandam Eccleſiaſticam procurationē.* hæc ipſe. Porro Euagrium iſtum, quem tradit profectum eſſe cum Euſebio in Occidentem illo ſcil. Euſebio Vercellenſi Epiſcopo, vt alias diximus, eundem eſſe cum Euagrio illo putamus, qui ex ſententia S. Hieronymi ad Innocentiū, valide oppugnauit Auxentium Arianum Mediolanenſem Epiſcopum. Hic enim Vercellis apud Euſebium fuiſſe videtur vſq; ad eius obitum, eoq; defuncto rediJſſe in Orientem, atq; ea Baſilio ſignificaſſe.

b Baſ. ep. 8.

BASILIVS LABORANS SVSPICIONE APVD OCCIDENT. SE PVRGAT

X. DE CAVSA APOLLINARIS.

Rurſum vero, quod idem Baſilius apud nonnullos in crimen adductus fuiſſet, quod litterarum conſuetudine cum Apollinari hæreſiarcha communicaſſet; ipſeque ſe pariter excuſaſſet, neſciſſe hominem alicuius eſſe prauæ opinionis auctorem: re tamen poſtea comperta, tum vt ſe ſuſpicione initæ cum eo communionis penitus liberaret, tum etiam vt latentem adhuc ſub Catholico nomine hæreſiarcham omnes agnoſcerēt damnatum eſſe ab Apoſtolica ſede: Damaſum rogat, vt cum ſuis Epiſcopis iſtud ipſum agat, ita ſubdens *c*: *Alter ex illis, de quibus vos admonemus, eſt Apollinaris, haud parum & ipſe Eccleſias contriſtans: facilitate namq; ſcribendi, quæ per occaſionem ad quoſuis irrepit, coniunctam habens ſufficientem linguæ facultatem, Orbem libris ſuis repleuit, contempto Eccleſiaſte* d, *qui cauendum eſſe dicit, ne multi fiant libri. In multitudine autem certum eſt quod multa delinquantur: nam quo modo poteſt in multiloquio vitari peccatum? Sunt vero quæ ſcribit, etiam ad Theologiam pertinentia, non ex Scripturæ probationibus, ſed ex humanis argumentis aſtructionem habentia. Scripſit & de reſurrectione quædam fabuloſe, immo Iudaicè compoſita: in quibus dicit, nos iterum ad cultum à lege præſcriptum reuerſuros, ita vt iterum & circumcidamur, & Sabbatum obſeruemus, & à cibis à lege prohibitis abſtineamus, ſacrificiaq; Deo offeramus, & in templo Hieroſolymis adoremus, atq; prorſus ex Chriſtianis Iudæi reddamur: quibus quidnā poterit ridiculum magis, magisq; alienum ab Euangelio dogmate dici? Deinde & de incarnatione tantam mouit fratribus perturbationem, vt pauci eorum, quibus colloquij cum illo nonnihil interceſſit, priſcum pietatis characterem conſeruent; multi vero rerum mutationi attendentes, ad quæſtiones & contentioſas inutilium verborū hæreſes auerſi ſint.* hæc de Apollinari Baſilius. At Cur Apoſtolicæ ſedi defert damnationē Apollinaris hæreſiarchæ: cur non ipſe Cappadociæ Metropolitanus eā hæreſim cum auctore damnauit? Noſti cauſam, lector, ſi memoria tenes, quæ ſuperius ſæpe ſunt repetita, atq; exemplis ſæpius demōſtrata: nimirum illum viguiſſe vſum ab ipſis Apoſtolorum temporibus, vbi primum ſedes Petri Romæ locata eſt, vt noua hęreſis, recensq; emergēs hæreſiarcha, nō ab alio quopiam cuiuſuis auctoritatis Epiſcopo, quā à Romano Pontifice, cauſa exacte peruestigata, Apoſtolica damnarentur auctoritate. Quo modo vero Damaſus, his à Baſilio acceptis de Apollinari atq; eius erroribus, Romæ coegerit Synodum, atq; eandem hæreſim cum auctore damnarit, dicemus ſuo tempore.

c Baſ. ep. 74.

d Eccl. 12.

ROM. PONT. SOLVS DAMNAT NOVAS HÆRESES CVM HÆRESIARCHIS.

At quid

XI. DE CAVSA PAVLINI EPISCOPI ANTIOCHENI.

At quid inſuper egit apud Damaſum hac miſſa Legatione Baſilius? Ipſe ſubdit, cum ait: *Paulinus vero an aliqua in re, quod manus impoſitionem concernit, reprehendendus ſit, vos ipſi dicetis.* parcius hæc Baſilius atque modeſtius, quod de inſignis nominis viro ageret; eodemq; Antiocheno Antiſtite inſtituto à Lucifero Epiſcopo Calaritano Apoſtolica legatione fungente; cum ante ipſum (vt ſuo loco dictum eſt) Meletius ab Arianis olim præfectus, conuerſus ad fidem Catholicam, ibi eandem valde propugnauerit, cuius cauſa exilia paſſus antea fuerat; atq; hactenus pareretur: cui quidē (vt diximus) Baſilius ſtudebat, vtpote illi intima familiaritate coniunctus, ſtantibus Occidentalibus à parte Paulini, vt paulo inferius dicturi ſumus.

XII. DE HÆRESI MARCELLI ANCYRANI EPISCOPI.

Inſuper eadem legatione Baſilius de Marcelli hæreſi hæc ad Damaſum habet in fine: *Nos ſane contriſtat, quod Marcelli dogmatibus fidem habet, & ſectatores illius ſine diſcrimine ad communionem admittit.* De Marcelli cauſa pluries ſuperius actum eſt. Inuenit ille fidem, dum vixit, quod eius cauſa cognita in Romano Concilio, necnon œcumenico Sardiceno, ſemper magna gloriā fuerat abſolutus, aduerſariorum vero repulſæ atq; confutatæ calumniæ: nec alia poſtea reperitur ab Orthodoxis habita eſſe Synodus, in qua fuerit Marcellus condemnatus: cum præſertim Athanaſius eundem nunquam condemnare præſumpſerit, vtpote (ꝙ refert Epiphanius *a*) qui habuerit ipſum, qui ſe purgaſſet, & haud vehementer erraſſet, ſubdit tamen de eo Baſilius enormia, quæ verane eſſent, an ab aduerſariis calumnioſe compoſita, haud ſatis exploratum eſt nobis: nam ſi verum Marcelli illud dogma fuiſſet, non ita perfunctoriè à quoquam diſſimulari potuiſſet, præſertim à Magno Athanaſio, cuiusq; hæreſis infenſiſſimo hoſte, ac veritatis Catholicæ acerrimo propugnatore. Porro hæc addit de eo Baſilius *b*:

a Epiphan. hæreſ. 72.

b Baſ. ep. 74

XIII.

*Scitis, colendiſſimi fratres, quam omnem ſpem noſtram irritam faciat dogma Marcelli, quod neque Filium propria ac diſcreta hypoſtaſi præditum confitetur, ſed productū, & in eum ipſum iterum conuerſum, ex quo venerat, tradit. Neq; Paracletum propriam habere hypoſtaſim contendit. Ita vt non aberret, ſi quiſquam hanc hæreſim prorſus eſſe alienam à Chriſtianiſmo determinet, ac corruptum quendam Iudaiſmum appellet. Horum curam à vobis requirimus: Eam adhibebitis, ſi vniuerſis Orientis Eccleſiis ſcribere dignabimini, vt eos, qui veritatis doctrinam ad hunc modum adulterarunt, tum demum ad communionem admittant, ſi quando errata correxerint; ſi vero contentioſe rerum nouationi immorari voluerint, ab illis ſecedant. Cæterum haud ignoramus & ipſi, quod oportuerat nos veſtra prudentia aſſeſſores communi de his rebus conſideratione tractare: verum quoniam nec temporis id ratio permittit, & dilatio pernicioſa eſt, propterea quod hominum iſtorum peſtis radices altius infixit: neceſſitate adacti fratres hoſce miſimus, vt ſimul quæcunq; literas fugiunt, denuo vos perdocentes, pietatem veſtram eo imuent, vt quæſitum Eccleſiis Dei auxilium exhibeatis.* hactenus Baſilius.

XIV. MARCELLI ANCYRANI OBITVS TEMPVS.

Quod inſuper ad Marcellum Ancyranum pertinet: ex Epiphanio datur colligere, hoc eodem ipſo anno illum ex hac vita deſiiſſe: ſiquidem cum de eo agit, hæc habet *c*: *Marcellus fuit in Ancyra, qui ſane huc uſque peruenit, & duobus plus minus annis ante hunc annum è vita diſceſſit.* hæc ipſe. Porro cum ea ſcriberet (vt ipſe teſtatur ipſo exordio *d* operis) anno vndecimo Valentiniani Imperatoris, Gratiani autem ſeptimo: plane opus eſt aſſerere hoc ipſum anno defunctum, addito tamen illo, plus vel minus, ab Epiphanio poſito.

c Epiphan. hæreſ. 72.

d Epiphan. lib. 1. circa princ.

XV. BASILIVS MALE AVDIVIT APVD ROM. PONT.

At quid hac legatione Baſilij actum eſt? nihil penitus. Accidit enim, vt ipſius Baſilij aduerſarij, qui tot calumniis, quas anno ſuperiori recenſuimus, eum obruere conati ſunt, haud ſatis habuerint, illum ipſius gētilibus fidei dubiæ, immo & hæreſis (vt vidimus) ſuſpectum reddere: quin etiam eaſdem in eum Romam intuleriūt ad Romanum Pontificem: nec illas quidem leuiter effuſas, vel ab hæreticis diffamatas, aut in ventum diſſipatas, quæ nullam apud audientes inuenirent fidem, ſed plane eiuſmodi, vt Catholici Epiſcopi, iidemque Baſilio familiaritate coniuncti, immo & eius alumni ſanctiſſimi monachi, fidem eas dictantibus (vt ſuperius demonſtratum eſt) adhibuerint. Quā ob cauſam Damaſus, his acceptis, dignum exiſtimauit ad aliquod temporis ſpatium, quouſque videlicet de his aduerſus Baſilium prolatis certior redderetur, abſtinere à conſuetudine literarum. & quamuis à Baſilio ſcripta minime ſpreuerit (nam de cogenda Synodo aduerſus Apollinarem, ex eius ſententia in animum induxit) nihil tamen per Legatos reſcripſit: plura enim erant, quæ ipſum Romanum Pōtificem cautius agere cum Orientalibus admonebant.

XVI. BASILIVS MITTIT PETRVM LEGATVM AD ROM. PONT.

Hæc ſane cum Baſilius reſciuiſſet, magno animi dolore confectus, quod res maximi ponderis videretur, alienatum à ſe experiri Romanum Pōtificem: iterum ad eundem legationem mittit, nec eam cuicunque credidit, ſed Petro ſuæ Eccleſiæ presbytero: quem eiuſdem nominis germanum ipſius exiſtimamus, ex monacho (vt dictum eſt ex Gregorio Nyſſeno) creatū ab eo presbyterum Cæſarienſis Eccleſiæ mox vt Epiſcopatum accepit: cui eiuſmodi functionē delegauit, eidemq; literas ad Romanum Pōtificem & alios collegas Epiſcopos dedit: quas hic recitare dignum exiſtimamus: magni n. momenti legationum vel apicem prætermittere, religionem putamus. ſic autem ſe habent *e*:

e Baſ. ep. 77

XVII. BASILII EPIST. AD DAMAS. PP. ET ALIOS OCCIDENTIS EPISCOPOS.

*Magno deſiderio congreſſum veſtrum expetenti, ſemper impedimenti aliquid accidit, vnde prohibeor, ne voti compos euadam. Aut enim corporis imbecillitate impedior, quam plane haud ignoratis, quanta mihi ſit à prima ætate ad iſtam vſque ſenectam vna mecum educata, nempe iuxta iuſtum Dei iudicium, qui omnia ſapienter diſponit, caſtigans, & erudiens: aut ſolicitudo nos Eccleſiarum, vel certamina, quibus reſiſtendum eſt veritatis ſermonem impugnantibus, remorantur. Quocirca in hunc vſq; diem in multa triſtitia & mœſtitia dego, ſciens, quod ope veſtra deſtituor. Ego enim quoniam audiui à Deo, qui ob id per carnem ad nos acceſſit, vt & factorum ſuorum exemplis vitam noſtram inſtrueret, & voce ſua Euangelium regni nobis annunciaret f: In hoc cognoſcetis omnes, quod mei diſcipuli eritis, ſi dilectionem habueritis adinuicem: & quod pacem ſuam veluti extremum munus diſcipulis ſuis, cum iam diſpenſationem, quam in carne obibat, abſoluturus eſſet, reliquerit dicens g: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non poſſum mihi ipſi perſuadere, quod ſine mutua charitate, & niſi quātum in me eſt, paci erga quoſuis ſtudeam, ſeruus Ieſu Chriſti digne vocari queam.*

f Ioan. 13.

g Ioan. 14.

XVIII.

*Multum iam temporis expectaui, an aliquando & à veſtra dilectione aliqua noſtri habeatur ratio. Non enim clam vobis eſt, quod publicè quibuſuis expoſiti, velut eminentes maris ſcopuli, furias hæreticorum fluctuū excipimus: qui vbi nobis illiſi infringuntur, quæ retro nos ſunt haudquaquam redundant, aut alluunt. Quando vero de nobis dico, non ad humanas vires refero, ſed ad gratiam Dei, qui in mortaliū imbecillitate potentiam ſuam declarat: quemadmodum Propheta ſub perſona Domini loquitur dicens h: An me non timebitis, qui arenam mari terminum poſui? Arena namque, re omnium infirmiſſima & nullius momenti, amplitudinem ac magnam molem maris cohibuit potens Deus. Cum itaq; ad hunc modum ſe habeant res noſtræ: debeant continuo à veſtra dilectione ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inuiſerent; & multo crebrius amicæ ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus vel in propoſito confirmaremur, vel ſi qua in re offendimus, corrigeremur: non enim negamus innumeris nos erroribus obnoxios eſſe, cum homines ſimus, & in carne viuamus.*

h Iob 26.

XIX.

*Verum quoniam ſuperiori tempore, fratres colendiſſimi, vel quia quid ex decoro faciendum fuerit, ignoraſtis, debita nobis obſequia exhibita non ſunt,* nempe per pacificas literas communicatio: *vel quia quorundam malitia factum eſt, vt in calumnias, quibus traducimur, abrepti & præoccupati, indignos nos amica viſitatione iudicaueritis: ecce iam literis vos ipſi prouocamus, & cauſas huius rei, quæ nobis adſcribuntur, fatemur, parati veſtram hac in re inſtitutionem amplecti: hoc tantum orantes, vt ſi quos admiſeritis, qui nos traducant ac vituperent, in conſpectum noſtrum coram veſtra pietate conſtituantur. Nos enim ſi conuincamur, peccatum noſtrum cognoſcemus; & vobis poſt eam reprehenſionem à Domino non imputabitur, ſi communionem noſtram tanquam peccatorum declinaueritis: deinde & præmium habebitis, ſi nos reprehenderitis, vt qui occultam noſtram malitiam pateſeceritis. Sin vero antequam communicamur, nos condemnaueritis: equidem nos nihil inde diſpendij accipiemus: propterea quod omnium*

*pretioſiſſimum bonum noſtrum, charitas videlicet, qua erga vos præditi ſumus, lædi nequit: vos autem & hoc ipſum nobis amiſſum patiemini, & Euangelio repugnare videbimini dicenti: Num lex*
a Ioan. 7. *noſtra iudicat a hominem, niſi primum audiuerit, cognoueritq́; quid faciat?*

XX. *Qui vero nobis calumnias quidem effundit, non autem quæ dicit, verè probat: videbitur ſibi ipſi mali nominis accerſere appellationem, ex eo, quod verbis inique & abſurde vtitur. Quo namq; alio nomine delatorem vocare conueniet, niſi ea appellatione, quam ex re ipſa, cui ſtudet, ſibi ipſe imponit? Neque igitur qui nos vituperat, diabolus ſit, ſed accuſator, imo neq; accuſatoris nomen accipiat, ſed frater ſit in dilectione nos admonens, & ad emendationem reprehenſionem noſtri inducens: nec vos auditores ſitis conuiciorum ſed redargutionum probatores & examinatores: neq; nos ſine remedio relinquamur, nondum patefacto nobis quid deliquerimus. Nolim enim vos hac teneri cogitatione, qua dicatis: Quoniam loca tranſmarina inhabitamus, extra periculum ſumus earum afflictionum, quæ complures occupant, neq; opus habemus aliorum auxilio: itaq; quid proderit nobis, vt cum aliis communicemus? Nam inſulas quidem Dominus à continenti per maris interſtitium diuiſit: inſulanos vero cum his, qui terram continentem & firmam inhabitant, per charitatem coniunxit. Nihil nos ſeparat, fratres, niſi animi propoſito ſeparationi cauſa robur q; demus.*

XXI. *Vnus nobis eſt Dominus, vna fides, ſpes eadem. Siue caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis; Non poteſt pedibus dicere caput: Non eſt mihi opus vobis. Siue in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis: non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus: Non eſtis nobis neceſſarij. Nam & manus mutuam inter ſe operam neceſſariam habent, & pedes mutuo ſeſe firmant, & oculi per concordiam habent, quod obiecta clare & illucide apprehendunt. Nos quidem noſtram ipſorum imbecillitatem agnoſcimus, & veſtram auide concordiam requirimus. Nouimus enim, quod etiamſi corpore non adfueritis, precum tamen auxilio magnum nobis grauiſſimis iſtis temporibus emolumentum afferre poteritis. Vobis vero nec coram hominibus decorum erit, nec coram Deo gratiæ quicquam conciliabit, ſi talibus volueritis vti vocibus, quibus nec gentes, quæ Deum non nouerunt, vſa hactenus ſunt. Nam & illas audiuimus etiam, vbi pro omni ſufficientia agrorũ fructus demetunt, propter futurorum incertitudinem, mutuum obſequium amica inuicem ſalutatione afferre & mutuum commercium inter ſe tanquam rem vtilem ſectari. Nos vero cum ſimus ex patribus, qui vel modicis indiciis conſortij ſymbola de terræ finibus ad fines vſque circumferenda, & quoſuis eiuſdem fidei pro ciuibus & familiaribus habendos eſſe putarunt: iam nos ipſos à reliquo Orbe ſeparamus, & neque de ſingularitate erubeſcimus, nec damni quicquam concordiæ diruptionem afferre putamus; neque horremus, quod in nobis formidanda Domini Prophetia adimpletur, qua*
b Matth. 24. *dixit b, quod propter iniquitatis abundantiam refrigeſcet charitas multorum?*

XXII. CONTESTATIO BASILII DE RETINENDA SEMPER CHARITATE. *Nolite fratres colendiſſimi, nolite hoc perpeti: ſed cum propter præcedentia nos literis pacificis conſolemini, & amicis ſalutationibus, veluti miti quadam & blanda contrectatione pectoris noſtri vlcus, quod ipſi nobis præterita noſtri negligentia inflixiſtis, mitigate: tum ſiue volueritis ad nos proficiſci, & per vos ipſos infirma noſtra ſcrutari, an vere ita ſe habeant, vt audiatis, vel ex falſis adiectionibus grauiora de nobis ſint ad vos relata delicta; fiat & hoc. Parati namq; ſumus obuiis manibus veſtrum excipere aduentum, noſq; ipſos diligenti ſiſtere examini; duntaxat in his, quæ ſiunt, ſuperiores habeat charitas. Siue veſtro iudicio locum quendam deſignare placuerit, in quo & quod nos concernit, viſitationis debitũ implebimus, & quantum fieri poteſt, noſtri experientiam offeremus, vt & præterita curentur, & nullus deinceps calumniæ locus relinquatur, per nos licebit, vt & hoc fiat: nam omnino, licet infirmam circumferamus carnem; tamen donec ſpirare datur, noſtri eſt officij vt nihil omittamus eorum, quæ ad Eccleſiarum Chriſti ædificationem pertinent.*

XXIII. *Ne velitis igitur aſtutis nouationibus hac, quam petimus, conſolatione fraudare; ne in eam nos neceſſitatem conſtituatis, vt & aliis noſtrum reuelare dolorem cogamur. Nam hactenus, vt ſcitis, fratres, mæſtitiam noſtram in nobis ipſis contegimus, pudore prohibiti, quo minus conſortibus noſtris procul diſſitis veſtram erga nos abalienationem ſignificemus; ne & illos tribulemus, & iis, qui nos odio proſequuntur, gaudendi occaſionem demus. Hæc quidem ſolus iam, attamen ex omnium Cappadociæ fratrum ſententia ſcripſi, qui me & hoc rogarunt, ne quouis tabellione ad vos vtar, ſed virum mittam, qui quæcunque per Epiſtolam aſſecuti non ſumus, veriti ne vltra competentem menſuram ſermonem extendamus, ſua prudentia, quam ex gratia Dei habet, ipſe ſufficienter exequi valeat: Dicimus autem deſideratiſſimum ac religioſiſſimum fratrem & ſympreſbyterum noſtrum Petrum: quem & in charitate complectimini, & cum pace ad nos, ut rerum ſecundarum ſit nuncius, ante veſtrum aduentum præmittere dignabimini.* hactenus Baſilius, expectans & expetens adhuc, quod aliis literis efflagitarat, ab Eccleſia Romana mitti in Orientem Legatos.

Quid autem ad hæc reſcripſerint Damaſus & alij Epiſcopi Occidentales, vel an reſcripſerint, haud apparet: illud quidem certius, eoſdẽ minimè reſcripſiſſe. nam quæ anno ſequenti ad Occidentales eiuſdem Baſilij datæ ſunt literæ, eandem querelam ingeminant, nullas literas ab eis datas, nulloſq; Legatos fuiſſe miſſos. Sane quidem nonnihil diffidentiæ, ne dicam ſimultatis & odij (nam ſalua charitate, hæc omnia actitata eſſe, Baſilij modo recitatæ literæ indicant) inter Baſilium & Occidentales interceſſiſſe, certum eſt: vt licet inter eos communicatio ablata minime fuerit; vſum tamen eius, quouſq; omnia exploratiora haberentur, fuiſſe intermiſſum, ex iiſdem ad eos Baſilij literis poſſimus intelligere. Iam ante augurat⁹ hæc ipſe Baſilius fuerat, ex eo tempore, quo edicto Valentis cœperunt Orientales Epiſcopi exulare, cum Gregorius Nyſſenus ab Eccleſia pulſus eſt, vt eius literæ ad Euſebiũ c datæ ſignificant, quibus poſtquã de exilio fratris & aliis egit, hæc de Occidentalibus ſubdit: — XXIV. SIMVLTAS INTER ORIENTALES ET OCCIDENTALES. — c Baſ. ep. 10.

XXV. SVGILLANTVR TVRPI NOTA OCCIDENTALES. *Etenim ſi Dominus ſit nobis propitius, quali adminiculo indigemus? ſin autem ira Dei permanſerit, quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio & faſtu aderit? qui veritatem neq; nôrunt, neque dicere ſuſtinent: verum falſis opinionibus præpediti, illa nunc faciunt, quæ prius in Marcello patrârunt; nempe cum iis qui veritatem ipſis annunciant, contendentes, hæreſim autem per ſe ipſos ſtabilientes. Ego ſane ipſe abſq; communi literarum figura volebam ad eorum antesignanum ſcribere: de Eccleſiaſticis quidem nihil niſi per ænigmata: quoniam nec intelligunt noſtratium veritatem, neq; viam, qua poſſint addiſcere, amplectuntur. In vniuerſum hoc literis volebam ſignificare, non per afflictiones oppreſſis humilitatemq; pœnam eſſe irrogandam, neque dignitatem æſtimandam ſuperbiam; quod etiam ſolum peccatum Deum inimicum reddere ſufficit.* huc uſque ipſe. Cæterum ab hac ſententia receſſiſſe, quæ ipſius ad Occidentales datæ poſt hæc literæ officij plene aperte demonſtrant: vt videas ſanctiſſimos viros interdum impetu haud omnino in omnibus rationi cõſentaneo commoueri, & q; naturæ eſt, facere; mox vero, quod virtutis eſt, eundem motum, antequam exiliat, carceribus coercere. Quænam, rogo, officioſiores, animoq; ſubmiſſiori à quouis ſcribi literæ potuerunt, quam illæ à Baſilio datæ poſtea ad Occidentales?

XXVI. NOVANTIVM FORTIS OBIECTIO DILVITVR. Sed plane maxima ex verbis Baſilij inſtat obiectio: cuiuſnam rei occaſione, quæve ſint iſtæ querelæ ab ipſo Baſilio vtcunq; prolatæ. Sunt hæc magna conſideratione peruestiganda, ac pariter expendenda. Quis enim nouãtium hæreticorum iſta perlegens, non continuo & manu plaudet, exclamabitq; Baſilij ſententia Occidentales omnes, ac potiſſimum ipſum Romanum Pontificem veritatis deſertores haberi, atq; hæreſis condemnari? At bona verba quæſo (vt Comici iſtud vſurpem) ſed accommodatius hoc Euãngelij d: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* & quidem non ſine fœnore. Ad hos iſthæc clamoroſe & inſulſe obiectãtes vno ictu penitus proſternẽdos atq; inſcitiæ inſanæq; temeritatis arguendos, illud vnum ſufficere poſſet argumẽtum, ſi dixerimus: Quonam pacto habuit Baſilius re vera Occidentales omnes hæreticos, ſi crebris, cum publicis, tum priuatis legationibus, atq; literis tam ſuis, quam Athanaſij & aliorum procuratis, adeo auide, tantoque ſtudio, dixerim & importune interpellarit, expetieritq; ipſorum opem, literas, & Legatos; & retardantes illos literis ardentioribus excitarit: cum alioqui hæreticorum communio à Catholicis reijciatur etiam oblata? Sed perquiramus, quid ſibi velint verba Baſilij. — d Matth. 18.

Quid eſt igitur, quod Baſilius ait: *Vt olim factum eſt in* XXVII.

*cauſa*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*cauſa Marcelli, Occidentales contendere cum his, qui annunciant veritatem, atq; hæreſim ſtabilire?* Quod ad Marcellum cum Romæ, tum in Cõcilio Sardicenſi abſolutum ſpectat, ſatis ea ſunto, quæ haud pridem & alias ſæpe ante diximus, ne tædio legentium eadem crebrius repetamus: ſed in eo, quod ſequitur, verſemur. In quibuſnam, rogo, Occidentales altercantes cum ijs, qui veritatem annunciant, hæreſim ſtabiliere? Hæc eſt illa, lector, vetus controuerſia inter Orientales & Occidentales de vocibus, ſubſtantia, & ſubſiſtentia, de qua fuſius actũ eſt ſuperius ex Actis Concilij Alexandrini anno Domini trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, cum ex harum vocum diuerſo modo facta interpretatione pars altera aduerſariis impingeret Arianiſmum, Sabellianiſmi vero altera alteram redargueret: cum tamen (vt idem teſtatur Theologus *a*) ambæ partes id ipſum re vera ſentirent, & æquè Catholicæ eſſent, prout S. Athanaſio ſatis exploratum fuiſſe confirmat.

CONTROVERSIA DE HYPOSTASIS NOMINE.

a Greg. Nazian. orat. in laud. Athanaſii.

XXIIX. Sed ex pluribus, quæ ſuperius dicta ſunt, hic ſatis erit repetere dumtaxat verba Gregorij Nazianzeni, quæ ſic ſe habent: *Cum eſſentia vna & tres hypoſtaſes à nobis piè dicerentur, quod alterum diuinitatis naturam, alterum perſonarum trium proprietates declaret: ac ſimili quidem modo apud Romanos intelligeretur, cæterum ob linguæ illius anguſtiam, verborumq; inopiam, hypoſtaſin ab eſſentia diſtinguere non poſſent, eamq; ob cauſam in illius locum, perſonarum adiunxiſſent nomen, ne tres ſubſtantias admittere viderentur. Quid tandem contigit? res profecto ridicula, vel potius miſeranda. Diuerſæ fidei ſpeciem præbuit leuis illa circa vocis ſonum contentio. Hic deinde alij Sabellij errori adſtipulari viſi ſunt, quod tres perſonas dicerent: alij impietatem amplecti viſi ſunt Arij, quod reiectis perſonis, tres hypoſtaſes nominarent: quorum vtrumq; pertinax contendendi ſtudium effinxerat. Quid poſtea? Cum parua quædam (vt in contentione fieri ſolet) moleſtiæ cauſa ſemper accederet: eo tandem res adducta eſt, vt periculum eſſet, ne orbis terrarum fines vna cum ſyllabis à ſe inuicem diſtraherentur & abrumperentur, &c.* ſubdit de S. Athanaſio eiuſmodi ambarum partium ſententiam peruestigante, & inter ſe eas ſimul conciliante. *Vtraq; parte*, inquit, *leniter & humaniter accerſita, verborumq; ſententia diligenter & accurate perpenſa, poſtquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quicquam inter ſe diſſidentes; ita negotium tranſegit, vt nominum vſum ipſis concedens, rebus eos conſtringeret.* hæc Nazianzenus.

VERBORŨ, NON SENSVS DISCREPANTIA.

XXIX. Rurſum vero quod apud Latinos (vt S. Auguſtinus *b* teſtatur) idem eſſet nomen hypoſtaſis, quod ſubſtantiæ; ac dicere vnam vſiam & tres hypoſtaſes, nihil aliud eſſet, quam affirmare vnam eſſentiã & tres ſubſtantias; abhorruiſſe Latinos tradit ab hypoſtaſis nomine, & tutius tres profeſſos eſſe perſonas. Et hoc ipſum profecto eſt, quod S. Baſilius vbi ſupra de Occidentalibus ait, quod veritatem ignorent, nec diſcere velint, vtpote qui haud facile admitterent nomen hypoſtaſis, quaſi eius vocis ignari. At licet Latini, callentes præſertim Græcas litteras, differentiam inter vſiam, ſubſtantiam, & hypoſtaſim, id eſt ſubſiſtentiam; optime noſſent: tamen quod apud ipſos Latinos (vt teſtatur Victorinus, & ita obtinuiſſe vſum loquendi affirmat S. Auguſtinus) idem eſſet hypoſtaſis, quod ſubſtantia; ſcite quidẽ interq; à noua voce abſtinere ſatius iudicarunt: qua etſi vterentur, æquè penes Græcos ſcientes illud nomen apud Latinos pro ſubſtantia vſurpari, ſuſpecti eſſent: quod docuit experimentum: nam de ſe, cum in Syriæ eremo S. Hieronymus ageret, ad Damaſum ſcribens, ſibi hæc his prope temporibus cõtigiſſe teſtatur *c*: *Nunc igitur*, inquit, *proh dolor, poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum Præſule* (hic erat Euzoius Epiſcopus Antiochenus) *& à Campenſibus* (hi erant Catholici partis Meletij, ſic dicti, vt vidimus, quod pulſi Antiochia in campis ſynaxes agerent, quibus Baſilius communicabat) *nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? Quis nouus magiſter gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus: Quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi? Tres perſonas ſubſiſtentes, aiunt. Reſpondemus, non ita credere. Non ſufficit ſenſus ipſum nomen efflagitant, quia neſcio, quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus: Si quis tres hypoſtaſes, aut tria enypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypoſtaſin vſiam intelligens, nõ in tribus perſonis vnam hypoſtaſim dicit, alienus à Chriſto eſt. Et ſub hac confeſſione nobiſcum pariter cauterio vnionis inurimur.* En quam perſpicuè vides, lector, cuius rei cauſa vna cum S. Damaſo Hieronymus in crimen hæreſis adducebatur.

b Aug. de Trin. lib. 5. c. 8. 9.

HYPOSTASIS QVID APVD LATINOS.

c Hieron. epiſt. 57.

XXX. At quam iuſte, id docet, quod ſubdit: *Tota ſæcularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam nouit: & quis rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* Et inferius: *Quiſquis tria eſſe, hoc eſt, tres eſſe hypoſtaſes, id eſt, vſias dicit, ſub nomine pietatis tres conatur naturas aſſerere. Si ita eſt, cur ab Ario parietibus ſeparamur perfidia copulati?* & paulo poſt: *Sufficiat nobis dicere, vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes, perfectas, coæquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes, & ſi placet, vna teneatur. Nam bonæ ſuſpicionis eſt, cum in eodem ſenſu verba diſſentiunt: ſufficiat nobis memorata credulitas. Aut ſi rectum putatis tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: ſed mihi credite, venenum ſub melle latet: transfigurauit ſe angelus Satanæ in angelum lucis. Bene interpretantur hypoſtaſin; & cum id, quod ipſi exponunt, habere me dicam, hæreticus iudicor. Quid tam anxiè vnum verbum tenent? quid ſub ambiguo ſermone latitant? Si ſic credunt, vt interpretantur, non damno, quod retinent: ſi ſic credo, &c.* Ecce tibi tanquam in tabula pictura, ex verbis rebuſq; geſtis S. Hieronymi, cauſa omnis Occidentalium, ipſiuſq; Romani Pontificis Damaſi ob oculos poſita: iudica, quæſo, quiſquis es, num hæreſis crimen iure obijcerent illi Hieronymo, vel Baſilius Occidentalibus omnibus, vel inſcitiæ nomine ijdem iure redarguendi eſſent.

HYPOSTASIS NOMEN AMBIGVŨ ET SVSPECTVM.

XXXI. Accidit autem deinde, vt poſt editas à S. Baſilio, Theodoreto, & aliis de nominis hypoſtaſis interpretatione ſcriptiones, atq; agitatas ea de re controuerſias, velut aſſidua cõfricatione, quod nouum, aſperum, & ambiguũ videbatur nomen hypoſtaſis, redditum fuerit tandem ex vſu iam vetus, lene, facile, atq; certum: vt vox hypoſtaſis, æquè ac perſonæ, à Latinis omnibus intrepide ſecureq; fuerit vſurpata. At vero, vt demum his finem imponamus, re à Sancto Baſilio accuratius conſiderata, tantum abeſt, vt Occidentales hæreſis ſuſpectos habuerit, vt eos ſolos puriores remanſiſſe prædicet Orthodoxos vltimis literis ad ipſos anno ſequenti datis; in quibus hæc verba leguntur *d*: *Cunctis mortalibus prædicamini, quod in fide illibati permaneatis, & Apoſtolicum depoſitum illæſum ſeruetis: non ſic habent res noſtræ, &c.* hæc Baſilius: deſcribemus autem eam Epiſtolam integram ſuo loco. En, quam probe, intueris, lector, ſublimes illos Nouantium fluctus, cum ad littus veritatis adhæſerint, in ſpumas graciles diſijci atq; reſolui.

TANDEM NOMEN HYPOSTASIS RECEPTVM.

d Baſil. epiſt. 1. in addit.

XXXII. At quid (dicet aliquis) cum idem S. Baſilius erecti ſupercilij æquè inſimulet Occidentales? Et alibi de Romana Eccleſia dicat: *Odi faſtũ illius Eccleſiæ.* vtpote quæ ex dictis ſuperius cauſis detrectaret Legatos in Orientem mittere, ſuppetias ferre, atq; demum pacificas litteras reddere? Condonandum quidem eſſe etiam ſanctiſſimis viris afflictis animo, ærumnis preſſis, oppreſſiſq; denſa moleſtiarum caligine, ſi in aliquod interdum verbum erumpant exorbitans, facile iudicabunt, qui præſtantiſſimos illos Iob atque Hieremiam conſiderant, veniamq; puto concedent. Abſit tamen omnino, vt in Baſilium, dum faſtum Romanæ exprobrat Eccleſiæ, in ipſum, inquã, maxime pium, maxime ſanctum, illud Platonis in Cynicum calcantem ipſius faſtum ſcomma retorqueam: *Sed maiori faſtu.* quamuis Gregorius Nazianzenus de eodem Baſilio teſtetur, ipſum faſtus atque ſupercilij nomine ab alijs reprehenſum: cum tamen ipſe eum excuſans, hæc dicat *e*: *Quid ad hæc nobis dicturi ſunt, qui homini faſtum ſuperciliumq; obijciunt? iniqui ſane & acerbi rerum huiuſmodi iudices, &c.* At quod mireris, idem ipſe Gregorius, qui modo Baſilium ait faſtus expertem, eumq; excuſat & defendit, alibi tamen, cum ab eo inuitus Saſimis præficeretur Epiſcopus, non ſine ſtomacho illum faſtus inſimulat, cum de eo ſic ait *f*:

OBIECTIO DE FASTV DILVITVR.

e Greg. Nazian. or. in laud. Baſil.

f Greg. Nazian. in carmin. de Vita ſua.

——— *Ante, ſumme vir, potius notem,*
*Tuumq; faſtum, quem tibi inuexit thronus?*

Ex quibus euidenter, lector, intelligis, quod nuper diximus, ſanctorum quoque virorum animos interdum ex perturbatione, inſtar Solis alioqui ſemper effulgentis, ad breue temporis ſpatium pati deliquium. At de his hactenus.

XXXIII. Iam ad S. Hieronymum ad Damaſum ex Syriæ eremo ſcribentem redeamus, & de tẽpore eius illuc acceſſus pariter peruestigemus. Hoc namq; anno, quo (vt dicemus) defuncto Magno Athanaſio, dira perſecutio exagitauit Eccleſiam Alexandrinam, totamque Æggyptum, ipſum Hieronymum ex Syriæ ſolitudine ad Ruffinum Ægyptum petentẽ, & monachos illic confeſſores inuiſentem, ſcripſiſſe, literæ tunc ab eo datæ ſignificant *a*. Sed quando illuc contigerit proficiſci Ruffinum, vt ex ijs pariter intelligamus Hieronymi in eremo incolatum, exquiramus. Inſtituiſſe vero eiuſmodi peregrinationem Ruffinum vna cum Melania Romana clariſſima fœmina Hieroſolymam, ſed in Ægyptum primo ad inuiſendos illic agentes ſanctos monachos nauigaſſe, idem S. Hieronymus ad Florẽtium, nec non ad Ruffinum ſcribens *b*, duabus Epiſtolis declarauit, quas ex Syriæ ſolitudine dedit. accedunt his alij teſtes: confirmat enim hoc ipſum de peregrinatione Ruffini cum Melania ſanctus Paulinus *c* in Epiſtola ad Seuerum, necnon Palladius de eadem Melania agens.

a Hieron. epiſt. 41.

MELANIÆ ET RVFFINI PEREGRINATIO.

b Hier. ep. 5. & 41.

c Paulin. epiſt. 9.

XXXIV. Quonam vero potiſſimum tempore eiuſmodi Ruffini cum Melania peregrinatio acciderit, diuerſæ ea de re reperiuntur ſententiæ: nam Palladius *d* ipſo exordio Valentis Imperij id factum eſſe, affirmare videtur: ſed apud S. Hieronymi Chronicon anno decimo eiuſdem Imperatoris hæc leguntur: *Melania nobiliſſima mulierum Romanarum & Marcellini quondam Conſulis filia, vnico prætore tunc Vrbano filio derelicto, Hieroſolymam nauigauit, vbi tantum virtutum præcipuèq; humilitatis fuit miraculo, vt Thecla nomen acceperit.* hæc ibi: quæ intelligenda putamus, non cum primum Roma profecta eſt, ſed cum ex Ægypto Hieroſolymam peruenit. Nam quod ſpectat ad profectionem in Ægyptum cum ipſius Ruffini, necnon Palladij aſſertione conſtet Melaniã accitis comites, viuente adhuc Athanaſio, fuiſſe Alexandriæ, quem liquet hoc ipſo anno ex hac vita migraſſe, vtique ante decimum Valentis annum eam cum ſuis in Ægyptum profectam eſſe, affirmare neceſſe eſt. Quod enim contigerit, ipſo viuente adhuc S. Athanaſio, Melaniam Alexandriã perueniſſe, Palladius ex eo perſpicuè demonſtrare videtur, cum ait Melaniam ab ipſo Athanaſio donatam eſſe ouina pelle, quam dono acceperat à Macario abbate, ablata ipſi munere à leone pro gratiarum actione de catulis cæcis ab ipſo luci redditis, cuius rei adeò admirandæ Ruffinus *e* hiſtoriam narrat: qui & ait, ſe præſentem fuiſſe, cum perſecutio eſt illata monachis poſt Athanaſij obitum ab Arianis: *Ea enim*, inquit, *quæ præſens vidi, loquor, & eorum geſta refero, quorum in paſſionibus ſocius eſſe promerui.* hæc ipſe. De eadem Melaniæ peregrinatione dum Palladius agit *f*, ait eam duce Iſidoro eremum Ægypti luſtraſſe, & inter alios magni nominis monachos inuiſiſſe Pambonem, eidemq; pro monachorum vſu donaſſe trecentas libras argenti. Cum aũt (q. diximus) tunc contigerit Hieronymum eam Epiſtolam ſcribere ad Ruffinum, cum ille inuiſeret monachos perſecutione vexatos (quod hoc ipſo anno factum eſt poſt obitum Athanaſij, de quo paulo poſt dicturi ſumus) affirmandum eſſe videtur, hoc eodem quoq; anno à S. Hieronymo ad Ruffinum eas literas dataſeſſe *g*, vbi inter alia: *Audio te*, inquit, *Ægypti ſecreta penetrare, monachorum inuiſere choros, & cæleſtem in terris circumire familiam.* & inferius: *Rurſum ſuſpenſam voto mutante mentem, quidam Alexandrinus monachus, qui ad Ægyptios confeſſores & voluntate iam martyres pro plebis iamdudum fuerat tranſmiſſus obſequio, manifeſtus ad credulitatem nuncij auctor impulerat.* & paulo poſt: *Ruffinum Nitriæ eſſe, & ad beatum perrexiſſe Macarium, crebra commeantium multitudo referebat.* hæc ipſe.

d Palla. in Lauſ. c. 33.

MELANIA AB ATHANASIO DONATA PELLE OVINA.

e Ruffin. l. 2. c. 4.

f Pallad. in Lauſia c. 2. Lipo. to. 3.

g Hieron. epiſt. 41.

XXXV. Quibus omnibus redditur manifeſtum, Melaniam cum Ruffino hoc anno, ſuperſtite adhuc Athanaſio, Alexandriam perueniſſe, & S. Hieronymum (vt dictum eſt) poſt Athanaſij obitum, excitata hoc anno ab Arianis perſecutione in Eccleſiam Alexandrinam & incolas eremi, illam ad Ruffinum Epiſtolam conſcripſiſſe ex Syriæ eremo, vbi agebat ſubægrotans, nam ait: *Ægrotum eſſe me dolui: & niſi me attenuati corporis vires quadam compede præpediſſent, nec mediæ feruor æſtatis, nec nauigantibus ſemper incertum mare pia cum feſtinatione gradienti valuiſſet obſiſtere.* hæc ipſe. At de rebus magna laude dignis à Melania geſtis eiuſmodi perſecutionis tempore, inferius ſermo erit: hæc enim non ad inſinuanda Acta Melaniæ atque Ruffini, ſed ex eorundem peregrinationis tempore, incolatus tempus Hieronymi in eremo voluimus demonſtraſſe: etenim ſic ex longe petitis ſæpe contigit tempora reddi certa.

HIERON. EX SYRIÆ EREMO SCRIBIT AD RVFFINVM.

XXXVI. Quam autem diximus Melaniam cum Ruffino atque ſociis ante obitum Athanaſij certũ eſſe Alexandriam ex Vrbe veniſſe: quonam potiſſimum tempore id accidiſſe putandum? Si Palladio aſſenſerimus affirmanti id factum circa exordia Valentis Imperij, ipſum Ruffinum *h* adiungere poſſemus adſtipulatorem, vbi ait annis ſex ſe Alexandriæ commoratum eſſe, & poſtea iterum ad aliquot dierum ſpacium illuc reuerſum commorari contigiſſe? Sed hoc rurſum diſſuadet vt credamus, quod ex nuper citata Hieronymi Epiſtola ad Ruffinum inauditus antea & inopinatus aduentus eius in Ægyptum & quam recentiſſimus fuiſſe videtur, vt ſuperius dictum eſt.

h Ruffin. in Hieron. inuect. 2.

XXXVII. Sed ad Hieronymi in Syriæ eremum acceſſum redeamus. Quando autem cõtigerit, vt ipſe ſic monaſticæ vitæ arripuerit inſtitutum, diligenti rerum ac temporum diſcuſſione peruestigandum eſt. Cæterum quod in re dubia & incerta verſemur, nitendum eſt coniecturis, aliisq; argumentis, quantumlibet videri poſſint à longe petita: ſic enim accidit ſæpe per anguſtas rimulas perſpicere, quæ indagatur ſolicitè veritas. At quod ad hanc rem pertinet: haud aſſentiri poſſumus affirmanti *i*, Hieronymum cum Ruffino atque collegis itineris ſociis primum Hieroſolymam petiiſſe, inde vero inter ſe diuiſos, Ruffinum in Ægyptum, Hieronymum autem in diuerſas prouincias peregrinationem inſtituiſſe, atque illinc deſerta Syriæ petiiſſe. Nam Ruffinum Roma receſſiſſe cum Melania, profectumq; in Ægyptum, indeque Hieroſolymam perueniſſe, cum iam Sanctus Hieronymus in Syria monachus degeret; tum quæ ſuperius dicta ſunt, cum quæ dicentur inferius, perſpicuè demonſtrabunt. Ex peregrinatione vero ipſius Hieronymi à ſe deſcripta poſſumus pariter intelligere tempus ipſius ex Occidente in Orientem migrationis: ad Ruffinum enim, cum ille iam perueniſſet in Ægyptum, ex eremo Syriæ ſcribit *k*, ſe primo profectum in Thraciam, inde in Pontum atque Bithyniam, poſtea in Galatiã & Cappadociam, deinde per Ciliciam in Syriam deſcẽdiſſe, vbi conſedit in ſolitudine monachus. hic totus eius eſt peregrinationis periodus, vna cum fidiſſimis comitibus Euagrio presbytero Antiocheno, Innocentio, Heliodoro, &, vt ait, cum Hyla S. Melanij famulo.

i Maria. Victor. in Vit. S. Hieron.

k Hieron. epiſt. 4.

XXXVIII. At quod primum ad Euagrium Antiochenum ſpectat, hunc inſigniter eruditum diximus iam ſuperius tẽporibus Iuliani Apoſtatæ, eumque vna cum Sancto Euſebio Epiſcopo Vercellenſi in Occidentem veniſſe, idq; teſtificatione S. Baſilij de eo ita teſtãtis in Epiſtola ad Euſebium Samoſatenum *l*, vbi ait ipſum redeuntem ex Italia ad ſe literas attuliſſe. Cum igitur reperiamus Euagrium indiuiduum comitem fuiſſe Sancti Hieronymi; æquè etiam cum eo Hieronymum peregrinatum ex Occidente in Cappadociam, par eſt credere, cum de ſe tradat ipſe Hieronymus, cum eo profectum eſſe in Cappadociam. Hæc igitur vt aſſeramus, eadem certa Hieronymi atque Euagrij in Cappadociam peregrinatio perſuadet. huncque ipſum Euagrium, de quo Sanctus Baſilius meminit, eundem eſſe cum Euagrio Hieronymi ſocio atque comite, cum nomen, tum munus presbyte-

l Baſil. ep. 8.

PEREGRINATIO HIERONYMI ET EVAGRII EADEM.

rij, tum patria, nempe Antiochia, necnon locus ipſe, vnde venit; nimirum ex Italia, æquè demonſtrant: eundemq; Euagrium illum eſſe, qui egregiã illam nauauerat operam Mediolani aduerſus Auxentium, de quo ad vnum ex comitibus Innocentium *a* ante Hieronymus ſcripſerat, nos ſuo loco retulimus.

a Hier. ep. 49.

XXXIX.

Quando autem acciderit Euagrium ad S. Baſilium in Cappadociam perueniſſe, ex eadẽ Baſilij Epiſtola poſſumus intelligere: qua, antequam de Euagrio faciat mẽtionem, de vehementi morbo, in quem tunc inciderat, agit, cum ait *b*: *Quinquaginta hi diebus æger decubui, quibus mihi ſedulo aſſuit dilectus & omnium ſtudioſiſſimus frater noſter & cooperator noſter Elpidius. Multum enim febre conſumptus, penuria nutrientis materiæ, arida hac carne ceu lucernarum papyro circumdatus, marcida longaq; ægritudine laboraui: antiquum vulnus huic accedens, à cibis me abſtraxit, oculis ſomnum ademit, tandem morti & vitæ confinem me effecit, tantum viuere permittens, quantum ad dolorem ſentiendum opus eſt.* hæc & alia plura de eadem corporis infirmitate Baſilius, quam ei contigiſſe ſuperius diximus anno, quo creatus eſt Cæſareæ Epiſcopus, qui numeratur Domini trecenteſimus ſeptuageſimus: quo pariter diximus Hieronymum cum eodem Euagrio & aliis ſociis deueniſſe in Syriam, inde vero eiuſdem prouinciæ deſerta petiiſſe, non ante (mea ſententia) annum Domini trecẽteſimum ſeptuageſimum primum: quod quidem & inſinuare videntur citatæ eiuſdem ſuperius literæ ad Ruffinum. Ex his igitur inducimur, vt credamus præſentem annum eſſe ſecundũ eius in eremo incolatus. Quonam autem ſuadente, Hieronymus ad habitandum Syriæ eremum elegerit, paulo poſt dicturi ſumus.

b Baſ. ep. 8.

QVANDO EVAGR. ET HIERON. IN CAPPADOCIAM PROFECTI.

XL. S. HIERONYMI PRIMORDIA.

Decens eſt enim, vt antea tanti Patris hic ſummatim in hanc diem vitæ curſum recẽſeamus, ex ſuis ipſius ſcriptis elicitũ. Natus eſt Stridone oppido in Dalmatia, honeſtis quidem parẽtibus & ſubſtantiis haud infimis, quas poſtea pro ædificatione monaſterij per Paulinianum fratrem diſtraxit *c*: non enim de ſe ipſo, ſed de voluptuoſis clericis atque monachis, ex perſona tamen ſua illa ait *d*: *Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ſaturare poteram ventrem, nunc ſimilam & mella faſtidio, &c.* Bonoſum habuit collactaneum *e*, & cum eodem coaluit in liberalibus diſciplinis, prædiuite adoleſcente: à pueroq; excolendus bonis literis traditus eſt præceptori: de quo ipſe *f*: *Memini me puerum curſitaſſe per cellulas ſeruulorum, diem feriatum duxiſſe luſibus, & ad Orbilium ſæuientem de auiæ ſinu tractum eſſe captiuum.* Romam veniens cum eodem ipſius gentili Bonoſo, Donatum audiuit, ipſum enim ſuum nominat *g* præceptorem; tum, vt ipſe tradit *h*, ſcholaſtico more luſit in controuerſiis declamandis. Ibi adulta ætate ſacro Baptiſmo initiatus *i* eſt: quo ſuſcepto, paulo ſolutiorem vitam, quam geſſerat, cõtinuo emendauit: nam priori amiſſa corporis integritate, ſecundam quam vocat continẽtiam poſt baptiſmum ſeruauit immaculatam *k*. Totus piis officiis deditus vna cum eiuſdẽ inſtituti ſodalibus, ſingulis diebus Dominicis (vt ipſe tradit *l*) inuiſebat in ſubterraneis cœmeteriis reliquias ſanctorum martyrum. Nihilque cæteris diebus otij ſibi relinquens, totus erat in deſcribendis libris: ſic enim Bibliothecam Romæ, ſummo ſtudio atque labore ſibi confeciſſe teſtatur *m*. In Gallias poſt hæc peregrinatus cum ipſo Bonoſo, eadem ſiti librorum, Treueris Sancti Hilarij libros de Synodis manu ſua deſcripſit, alioſque ibi poſitos antiquos codices, vſus opera amicorum, atq; inter alios Florentij, deſcribendos curauit *n*.

c Hier. ep. 26

d Hier. ep. 2.

e Hier. ep. 41

f Hier. Apol. aduer. Ruffin.

g Hier. in Chron. an. 20. Conſtantij.

h Hier. l. 1. dial. Pelag. & in ep. ad Gal. c. 2.

i Hier. ep. 57

k Hier. Apol. pro lib. adu. Iouin.

l Hier. in Ezech. c. 40

m Hier. ep. 22.

n Hier. ep. 6. & 41.

XLI.

Contigit autem poſt hęc, vt qui ſemel peregrinari cœperat, proficiſci quoq; in Orientem, in animum induxerit, id quidem cum eruditionis, tum etiam religionis cauſa, vt ex his, quæ geſſit, inſpicere licet. Porro peregrinationis eius quæ remanent veſtigia aſſectantes, dicimus eũ cum Bonoſo comite è Galliis reuertentẽ, Aquileiam perueniſſe, conſediſſeq; ibi aliquo temporis ſpatio fruiturus conſortio ſanctiſſimorum virorum, nimirum S. Valeriani eius ciuitatis poſt Fortunatianum Epiſcopi, Heliodori, Nepotiani, Ruffini, Chromatij, Iouini, Euſebij, Bonoſi, Florentij, Nicææ ſubdiaconi, Chryſogoni monachi, ad quos omnes intimæ neceſſitudinis teſtes eiuſdem Hieronymi *o* literæ extant.

o Hier. ep. 41. 42. 43. 44.

XLII. ECCLESIA AQVILEIENSIS FLORENTISS.

Summa quidem laude florebat tum Aquileienſis Eccleſia, vbi extincto Fortunatiano Epiſcopo Arianæ ſectæ fautore, eam Arianorum labe fœdatam Valerianus vir ſanctiſſimus ab omni prorſus impietatis fæce purgauit, vt idem Sanctus Hieronymus tradit *p*, adſcitiſq; ad officia Eccleſiaſtica viris optimis ac eruditis, ſic claruit, vt de eis ipſe Hieronymus in Chronico ita dignè meminerit: *Aquileienſes clerici, quaſi chorus beatorum habentur.* per quos omne Ariani quondam dogmatis *q* virus excluſum eſt. ſed & quod qui ibi erant clerici, eſſent & monachi, hoc præconio ex iiſdem tres potiſſimum laudantur in Chronico, cum ait: ** Florentius, Bonoſus & Ruffinus inſignes monachi habentur: ex quibus Florentius tam miſericors in egenos fuit, vt vulgo Pater pauperum nominatus eſſet.* ab hoc adiutum Heliodorum in Orientem peregrinationem confeciſſe, eiuſq; expenſis Hieronymum complures libros exſcribendos curaſſe, eiuſdem literæ ad eum datæ *r* ſignificant, quibus rurſus eiuſdem viri miſericordia erga pauperes commendatur illis potiſſimum verbis: *Prætermitto innumerabiles, in quibus Chriſtum ſuſtentaſti, paniſti, veſtiſti, viſitaſti &c.* Horum igitur ſuauiſſima conſuetudine aliquantiſper detentus eſt S. Hieronymus Aquileiæ, cum inde recedere cogitur neſcio quo improuiſo rerum euentu, vt ipſe ex eremo ad Ruffinum ſcribens teſtatur verbis illis *ſ*: *Poſtquam me à tuo latere ſubitus turbo conuulſit poſtquam glutino charitatis hærentem impia diſtraxit auulſio, &c.* Tunc Aquileia recedens, in Dalmatiam patrium ſolum veniens, ſororum iuuenculam ætatis lubrico lapſam; primum viro maximè pio Iuliano diacono, qui eam ad meliorem frugem reſtituit, deinde etiam per literas Chromatio commendauit *t*. Poſt hæc autẽ vna cum dictis ſupra comitibus recenſitas prouincias peragrauit, nempe Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, atque Syriam, vbi cum Euagrio Antiocheno in via comite, Antiochiæ conſedit.

p Hier. ep. 43.

q Hieron. ep. 41.

* Florentianus.

r Hieron. ep. 5. 6.

ſ Hier. ep. 41

t Hier. ep. 37. & 45.

XLIII.

Erat Euagrius prædiues ac nobilis, dominuſq; villæ, Maronia dictæ, vbi aliquando agens Hieronymus cum eodem Euagrio, nactus ibi ſanctiſſimum illum Malchum monachum, totius vitæ ipſius curſum, quam poſtea factus ſenex cõſcripſit, accepit: teſtatur id quidem Hieronymus ipſe, cum ait *u*: *Maronia triginta fere milibus ab Antiochia vrbe Syriæ haud grãdis ad Orientem diſtat viculus: hic poſt multos vel dominos, vel patronos, dum ego adoleſcentulus morarer in Syria, ad Papæ Euagrij neceſſarij mei poſſeſſionem deuolutus eſt, quem idcirco nunc nominaui, vt oſtenderem, vnde noſſem, quod ſcripturus ſum.* nominat Hieronymus Euagrium Papam, quod cum ipſe ſenex ea ſcriberet, iam ipſe Euagrius factus fuerat (vt ſuo loco dicemus) Epiſcopus Antiochenus. poſt vero deſcriptam egregiè vitam Malchi, iſta ad poſtremum: *Hæc*, inquit, *mihi ſenex Malchus adoleſcentulo retulit, hæc ego vobis narraui ſenex, & caſtis hiſtoriam caſtitatis expono.* quo plane Malchi exemplo, & aliorum plurimorum monachorum, quibus (vt vidimus) Syria tunc florebat, incaluit cor eius ad conſectandum vitæ monaſticæ inſtitutum: cum & ad Theodoſium magni nominis virum, & alios præclaros anachoretas literas *x* dedit, petens eorum precibus ſolui vinculis ſæculi, vbi hæc inter alia: *Nunc veſtrũm eſt, vt voluntatem ſequatur effectus: meum eſt, vt velim: obſecrationum veſtrarum eſt, vt quod velim, & poſſim.* Inter hæc temporis ſpatia, cum quid eſſet decernendum de ſtatu ſuo, DEVM ſeruoſque DEI ita conſuleret, agens Antiochiæ docentem audiuit Apollinarem, de quo ipſe ad Pammachium *y*: *Apollinarem Laodicenum audiui Antiochiæ frequenter, & colui, & cum me in ſanctis Scripturis erudiret, nunquam illius contentioſum ſuper ſenſu dogma ſuſcepi.* hæc ipſe. Porro cum (vt ſuperius dictum eſt) Apollinaris nondum perfectè cognitus, neque damnatus eſſet, licenter docebat, audiebaturque licentius.

u Hieron. in vita Malchi.

QVID HIERON. ANTIOCHIÆ.

x Hieron. ep. 38.

y Hieron. ep. 65.

XLIV.

Quod autem ad Theodoſium anachoretam ſpectat,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HIERON. CVLTOR EREMI FACTVS. a *Theod. in Philoth. c. 10.*

cuius precibus adiutus S. Hieronymus monaſticæ vitæ arduum inſtitutum animo ardenti arripuit: idem ille eſt, qui hoc tempore in iis regionibus egregia claruit ſanctitate: cuius res præclare geſtas Theodoretus *a* conſcripſit, eumque patria Antiochenum, eo ſanctitatis perueniſſe tradit, vt nautæ, eius nomine inuocato, tempeſtatem maris ingruentem ſedarent: quem Antiochiæ defunctum affirmat, ſepulturaque ſanctorum honorifice tumulatum. De loco vero à S. Hieronymo in Syriæ ſolitudine ad habitandum delecto, ad Chromatium ſcribens *b*, ita ipſe meminit: *In ea eremi parte delatæ ſunt,* (b *Hier. epiſt.* 43.) *quæ* ſcilicet *literæ, quæ inter Syros & Sarracenos vaſtum limitem ducit.* eadem habet ad Florentium *c*. Chalcidis prouinciæ ea erat (vt alibi *d* ipſe teſtatur) ſolitudo. Fuere eius comites Innocentius atque Hylas, acceſſitq; poſtea Heliodorus. His omnibus Euagrius Antiochenus cuncta neceſſaria miniſtrabat *e*, quin & eius impenſis Hieronymo ad ſcribendos libros ſuppeditati ſunt antiquarij: illis enim ſe ibi abûdaſſe teſtatur *f*: eiuſdemque Euagrij opera, literæ, quæ diuerſis ex locis Antiochiam efferebantur, eidem reddebantur, viciſſimque ad alios mittendæ ab ipſo ille accipiebat.

c *Hier. ep. 6.* d *Hier. præfat. in Abdiam.* e *Hier. ep. 41. 43.* f *Hier. ep. 6.*

XLV.

Sed rebus in hunc modũ probe diſpoſitis, illud funeſtum in primis accidit, vt dulciſſimo comite Innocentio morte extincto priuaretur *g*, Helioduruſq; cito receſſerit *h*, ſpe tamẽ redeundi: ipſe vero crebris laboraret corporis *i* infirmitatib. quod ſæpe queritur ad diuerſos amicos ſcribens *k*. Quas inſuper præter hæc paſſus ſit impugnationes dæmonum, & quæ cum exercuerint prœlia carnis, hic retexam ex eiuſdẽ Epiſtola ad Euſtochiũ *l*: *O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta Solis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs! Sedebam ſolus, qui amaritudine plenus eram: horrebant ſacco membra deformia, & ſqualidum cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum: pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum ſola libidinum incendia bulliebant. Itaq; omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Non erubeſco confiteri infelicitatis meæ miſeriam, quin potius plango me non eſſe, quod fuerim. Memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoq; cellulã meam, quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam, & mihimet iratus & rigidus ſolus deſerta penetrabam; & ſicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum: &, vt ipſe teſtis eſt Dominus, poſt multas lachrymas, poſt cælo inhærentes oculos nonnunquã videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudenſq; dicebam m: Poſt te in odorem vnguentorum tuorum currimus.* hactenus ipſe.

g *Hier. ep. 41.* h *Hier. ep. 137.* i *Hier. ep. 5.* k *Hier. ep. 37. 41.* l *Hier. ep. 22.*

HIERON. QVÆ SIT PASSVS IN EREMO.

m *Cant. 1.*

XLVI.

n *Hier. ep. 4.* HIER. IN EREMO VACAT LITERIS HEBRAICIS.

Verum nõ ieiunia ſolum, aliaſq; afflictationes ad carnis impetus infrenandos adhibebat, ſed & ingẽ ſtudiũ literarum: vnde ipſe ad Ruſticum ſcribens, hæc ait *n*: *Dum eſſem iuuenis & ſolitudinis me deſerta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremq; naturæ ferre non poteram: quem cum crebris ieiunijs frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat, ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in diſciplinam dedi, vt poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemq; Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum diſcerem, & ſtridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperauerim, quoties ceſſauerim, & contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia tam mea, qui paſſus ſum, quã eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Deo meo, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus carpo.* hæc ipſe.

XLVII.

Ex multis vero ærumnis, quibus ibi grauiter afflictatus eſt, illæ quidẽ ibi maximæ vitæ ſunt; quod Occidentalis ipſe homo, collegis parum cognitus, ſuſpectæ illis fidei haberetur: cumq; ſciſſa eſſet ſchiſmate Eccleſia Antiochena, totaq; illa prouincia, ipſe pariter inuitaretur in ſchiſma, atque cogeretur alteri ſaltem partium inhærere, ſiue Paulini, ſiue Meletij, Orthodoxis ambobus Epiſcopis, aliis cum Paulino cõmunicare ipſi ſuadentibus, cum Meletio aliis, aliis inſuper cum Vitale anteſignano hæreſis Apollinaris, magnumq; etiam illi à Syriæ monachis factum eſt negotium (vt diximus) ob nomen hypoſtaſis: cum ipſe tunc his vallatus anguſtiis, quid acturus eſſet, conſulit Romanum Pontificem Damaſum *o*, quem hiſce primum vocibus interpellat:

HIERON. À SCHISMATICIS IN DIVERSA DISTRAHITVR.

o *Hier. ep. 57.*

XLVIII. HIERON. CONSVLIT DAMAS. CVM QVO DEBEAT ANTIOCH. COMMVNICARE.

*Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam p Domini tunicam & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant q vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent r, difficile, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit s, poſſit intelligi: Ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neq; vero tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & t aquilæ: profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcundo, dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta in lolium auenaſq; degenerant. Nunc in Occidente Sol iuſtitiæ oritur, in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, ſupra ſidera u poſuit thronum ſuum. Vos x eſtis lux mundi, vos ſal terræ: Vos aurea vaſa & argentea: hic teſtacea vaſa, vel lignea virgam ferream & æternum opperiantur incendium: Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimæ ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia, Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio y. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit z, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto barbariæ fine diſterminat, nec poſſum ſanctum Domini, tot interiacentibus ſpatiis, à ſanctimonia tua ſemper expetere: ideo hic collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor, & ſub onerariis nauibus parua nauicula delitеſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt, &c.* quæ enim ſubdit poſt hæc de controuerſia vocis hypoſtaſis, iam ſuperius ſunt recitata. Rogat demum, vt cuinam illarum trium ſectarum auctoribus communicare debeat, litteris ſignificet Antiochiam ad Euagrium dandis.

p *Ioan. 19.* q *Cant. 2.* r *Hier. 2.* s *Cant. 4.* t *Luc. 17.* u *Iſai. 14.* x *Matt. 5.* y *Matth. 16.* z *Exod. 12.*

XLIX.

Quod autem diu expectans, nondum tamen cui communicare deberet, Damaſi reſponſum acciperet, atq; interim factio ſchiſmaticorum magis magiſq; ipſum vrgeret: rurſus ad eundem Romanum Pontificem eodem argumento literas dedit *a*, quibus hæc inter alia: *Ita me inceſſabilis inimicus poſt tergum ſecutus eſt, vt maiora in ſolitudine bella, nunc patiar. Hinc n. præſidiis fulta mundi Ariana rabies fremit: hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus, tibi hærere ſe, dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obteſtor beatitudinem tuam per Crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem* Christi, *vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito. Ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas: ita te alius ſenem cum Petro cingat: ita municipatum cæli cum Paulo conſequaris, vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* hæc ad Damaſum Hieronymus: at non hoc anno, ſed ſaltem poſt biennium ambæ hæ ſcriptæ ſunt à Hieronymo Epiſtolæ ad Damaſum, nimirum, cum iam Sanctus Ambroſius creatus fuiſſet Epiſcopus; nam in ſuperiori ad Damaſum Epiſtola meminit de Auxentio atq; Ambroſio, quem conſtat anno vndecimo

a *Hieron. epiſt. 58.* RVRSVS DE IISDEM HIER. AD DAMAS.

Valen-

Valentiniani fuiſſe factum Epiſcopum, poſt ſequentem videlicet annum, de quo ſuo loco dicturi ſumus.

L. CVM QVO COMMVNICANDVM DECREVERIT DAMASVS.

* Quid autem ad hæc reſponderit Damaſus, licet literæ eius non extent; tamen ex multis conſtat ipſum reſpondiſſe, vt cum Paulino communicaret. Id quidem primo ex eo redditur manifeſtum, quod idem S. Hieronymus ab eodem presbyter ordinari voluit: quod certe minime facere auſus fuiſſet, niſi ſciſſet Romanum illi Pontificem literis pacificis communicare. Rurſum vero ex his, quæ ſanctus Baſilius ad Terentium ſcribit *a*, liquet Damaſum ad Orientales dediſſe literas pro Paulino, nam ait: *Super iſtam autem famam iterum apprehendit nos auditus, quod & fratres, qui cum Paulino conſtituti ſunt, colloquuntur aliqua tuæ rectitudini de ea, quæ nobiſcum eſt, vnitione: nos autem dico partis hominis Dei Meletij Epiſcopi.* * *Quos audio & literas nunc Occidentales aliunt circumferre, præcipientes eos alium habere Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ, reijcientes admirabilem Epiſcopum veræ Dei Eccleſiæ Meletium. Et non admiror iſtud. Quidam enim omnimodo ignorant ea, quæ in iſtis ſunt partibus: quidam autem etſi videntur ſcire, concertando magis, quam veritatem dicendo, ea referunt. Et illos quidem nihil mirum eſt aut ignorare veritatem, aut occultare cauſam, propter quam ad ſcribendum Paulino perductus eſt beatiſſimus Epiſcopus Athanaſius. Tuam autem perfectionem ibi agentem, quæ poſtea ſub principatu Ioviani inter Epiſcopos facta ſunt, integre referre rogamus, vt ab ipſis quæ facta ſunt, diſcas. Verumtamen quia nullum accuſamus, oramus autem magis ad omnes habere charitatem, & maxime ad domeſticos fidei: congratulamur iis, qui apportauerunt de Roma literas, & ſi magnam aliquam & venerabilem habent eorum teſtificationem, & oramus illam veram eſſe, & ex operibus ipſis confirmari. Non autem propter hoc poſſumus nobiſmet ipſis aliquando ſuadere, quia Meletium ignoremus, vt aut eam, quæ ſub ipſo eſt, Eccleſiam obliuiſcamur, aut inquiſitiones, pro quibus ab initio diſſenſio facta eſt, minimas arbitremur, aut penitus modicam habere differentiam ad eam, quæ de pietate eſt intentionem.* hæc Baſilius de his quæ ſpectant ad cauſam Meletii.

a Extat in vlt. edit. Nationa ante canonic. epiſtolas.

PAVLINVS PRÆFERTVR MELETIO.

LI.

Ex his in primis videas Athanaſii cum Paulino communione perſuaſum inductumq; Romanum Pontificem cum eodem Paulino communicaſſe. Quod autem expetat à Terentio perquiri mittique ad ſe Acta Concilii Antiocheni ſub Ioviano: illã puto cauſam, quod in eo Concilio cognitus fuit Meletius eius Eccleſiæ Epiſcopus, in cuius Synodali epiſtola primo loco ille ſubſcriptus habetur *b*. Vides ex his etiam Baſilii modeſtiam, qui licet eidem plurimum deferret Meletio, excuſat tamen iudicium de Paulino Romæ prolatum, nimirum haud vera illuc de Meletio eſſe perlata. Cæterum non ſic excluſus Meletius & Paulinus receptus fuiſſe videtur, vt tamen Meletio communicantes, anathematis damnatione ferirentur, & ita extorres fierent ab eccleſia: id quidem haud Baſilius tacuiſſet, cuius ſententia in primis veniret ipſe damandus: imo nec Meletius ipſe, licet priuatus ſede illa, fuit ſententia Damaſi excommunicatus, vtpote vir Catholicus probe notus, deque Catholica veritate optime meritus.

b Socr. li. 3. c. 21. & Sozom. lib. 6. c. 4.

QVALIS FVERIT SENTENTIA DAMASI PAPÆ DE MELETIO.

LII. TRANSACTVM INTER MELETIVM ET PAVLIN.

Sed quid accidit? Cum omnes ferme Orientales Epiſcopi Catholicæ religionis reperirentur ſtudere Meletio, atque auerſari Paulinum, indigneque ferre, Epiſcopum ob fidem Catholicam ſæpe exulem, poſt immenſos perfunctos labores ignominioſe ſede priuari, reſque iam eo ſtatu repoſita eſſet, vt non niſi magno ſcandalo, quæ decreta fuerant, perfici poſſent: placuit, & quidem puto aſſentiente, vel ſaltem ratum habente ipſo Romano Pontifice, vt amicabili tranſactione inter eos intercedente, res ita componeretur, vt ſic ambo ſederent, regens quiſque illorum gregem ſibi ſubiectum, vt tamen alterutro ex hac vita migrante, nullo ei ſubſtituto alio Epiſcopo ſucceſſore, qui ſupereſſet alteri, ſolus vniuerſam illam curaret Eccleſiam: quando autem id fieri contigerit, ſuo loco dicetur ex Socrate *c*, atque Sozomeno *d*, refelleturque Theodoreti commentum. Porro Hieronymus poſtea admonitus literis Damaſi Papæ, Paulini communionem amplexus eſt, cui & inhærebat Euagrius eius perneceſſarius, & eiuſdem Paulini deinde in ſede ſucceſſor.

c Socr. lib. 5. cap. 5.
d Sozom. li. 7. c. 3.

LIII. QVID DE TRIB. HYPOSTASIBVS DAMASVS.

Quid autem ad eundem ſanctum Hieronymum de tribus hypoſtaſibus exquirentem Damaſus Papa reſcripſerit, licet eius non extent literæ; tamen nonniſi ex ſententia eiuſdem Hieronymi reſpondiſſe videtur, nempe confitendum tres in Trinitate perſonas, tacendumque nomen hypoſtaſis: id ſane aſſequi poſſumus ex Cyrillo Alexandrino Epiſcopo inter alia ita ſcribente ad Acacium *e*: *Quod beato Paulino accidit, qui detrectabat tres dicere hypoſtaſes, diſerte cum virtute & veritate eadem ſentiens ac tractans. Adhæſit autem Occidentalibus Deo dilectiſſimis Epiſcopis: propterea quod anguſtior eſt Romana lingua, quam quæ iuxta noſtram Græcorum phraſin tres hypoſtaſes dicere queat. Verum quoniam nos omnes, qui Eccleſiæ Dei & condolere & compati poſſumus, magno æſtimare debemus, ſi vox illa expreſſe pronunciata reprimi poſſit, ne occaſio detur iis, qui ad hoc parati ſunt, vt Eccleſiam Dei diuidant ac ſcindant, &c.* hæc Cyrillus, plane docens eam Occidentalium de tacendo hypoſtaſis nomine fuiſſe ſententiam, quam ipſe Paulinus ex eorum præſcripto fuerit amplexatus. Verum (vt dictum eſt ſuperius) cum ex pluribus Orientalium ſcriptionibus innoteſceret, nomen hypoſtaſis nullam in eo pronunciando habere fallaciã, ſicut à Græcis, ita quoq; à Latinis ſuſceptum eſſe, atq; vſu frequentatum apparet, adeo vt vox Græca in Latinitatem frequẽti vſu tranſierit.

e Cyr. Alexan. ep. 15.

LIV. MELETIANI IVNCTI TARSENSIBVS.

Cæterum etſi Meletius laude digniſſimus habeatur, cui merito fauiſſent magni nominis Orientales Epiſcopi; tamen eo abſente his temporibus, exule (vt vidimus) cauſa fidei, illi, qui ab eo dicti ſunt Antiochiæ Meletiani illa quidem culpa minime caruere, cum vt præſtarent viribus, pollerentque multitudine, coniunxerunt ſe Tarſenſibus, ſic dictis, hæreticis: Erant hi Semiariani à Siluano *f* ipſorum Epiſcopo ita inſtituti, qui cum horrere Arianos profiterentur, confitentes in Dei filio diuinam ſubſtantiam, nolebant tamen cum Orthodoxis aſſerere eius conſubſtantialitatem, iis de cauſis, quæ ſuperius ſunt memoratæ. Attamen non omnes, qui Meletio communicabant cum Meletianis pariter iuncti cum Tarſenſibus participationem habebant. ſiquidem ſanctus Baſilius exhorrebat Tarſenſes hæreticos: hinc illa eius deploratio de Tarſenſi ciuitate ab hæreticis occupata, vt ſuo loco ſuperius dictum eſt. Porro licet ſic diuiſi inter ſe eſſent Catholici Antiocheni; in eo tamen haud inuiti conueniebant in vnum, vt Euzoium illic Epiſcopum Arianum execrarentur, qui pulſo olim Meletio ab Arianis fauore Imperatoris fuerat inſtitutus ipſorum Antiſtes, de quo Gregorius Nyſſenus *g*: *Iam, inquit, multum temporis interceſſerat, cum quidam adulterandi animo immaculatum lectum coniugalem aggreditur, ſed ſponſa non poterat corrumpi, &c.* de hæretico enim illic inſtituto Epiſcopo ipſum intelligere, quæ ſubdit ibi, ſignificant.

f Sozom. lib. 6. c. 4.

g Gregor. Nyſſe. orat. in fun. Meletij.

LV.

Sed de rebus Antiochenis hactenus: redeamus ad ſanctum Hieronymum in eiuſmodi prouinciæ eremo commorantem, recenſeamuſque eius illic lucubrationes elaboratas. Cœpit ibi primum ipſe ſui experiri vires ingenii, atque vt pullus aquilæ primo volatu celſa petens, culmẽ propheticæ eminentiæ auſus eſt penetrare, cui tamen ætate grandiori ſublimiora ſcandenti, humilia ſunt viſa, ita vt illa ante elucubrata omnino deſpexerit, poſterioribus priora emendans. Fuit hic Commentarius in Abdiam Prophetam, quem cum iuuenis elaboraſſet, erubuit poſtea ſenex audiens per Italiam circumferri, quem obliuione putabat eſſe deletum. Scripſerat illum priorem hoc, puto, vel ſequenti anno, quo dictam ad Ruffinum dedit epiſtolam, cum Heliodorum ad ſe veniſſe teſtatur *h*, antequam ille recederet, quem haud diu ibi cõmoratum eſſe conſtat, ait enim in eiuſdem Commentarii præfatione ad Pammachium *i*: *Hoc illud tempus, mi Pammachi, ac luce dulcior, quo egreſſi ſcholam rhetorum diuerſo ſtudio ferebamur: quando ego & Heliodorus cariſſimus pariter habitare ſolitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur*, hæc ipſe.

HIERON. TRICENARIVS SCRIBIT SVPER ABDIAM.

h Hieron. epiſt. 41.

i Hieron. præfat. in Abdiam.

LVI.

Quotennis autem tunc S. Hieronymus eſſet, idem plane ibidem ſupra declarat, vbi ait: *Quanto magis ego, qui nec dũ ad ætatem perfecti viri & in menſuram Chriſti veni, mereri debeo veniam*, & inferius, tot annis poſtea, quot habebat, quãdo

ipſe ſcripſerat, allatum ad ſe ab Italia tradit exemplar, nempe triginta: nam paulo poſt: *Nec diffiteor per hoſce triginta annos in eius opere me hoc labore ſudaſſe.* ſicq; videat ex verbis ipſius S. Hieronymi illum elici ſenſum, iam natum annos triginta illa ſcripſiſſe, poſt annos vero item triginta eadẽ correxiſſe, nẽpe ſexageſimo ætatis anno, Chriſti vero circa quadringenteſimum ſecundum. Nec eſt, quod alius ſenſus accommodari poſſit Hieronymi verbis, cuius teſtificatione *a* cõſtat, anno quartodecimo Theodoſii Imperatoris nondum edidiſſe ſecundã in Abdiam interpretationem. His inſuper conſentiunt, quæ idem in fine eiuſdem poſterioris Commentarii in Abdiam ita habet: *In hoc Propheta & adoleſcentuli luſimus, & ſenes præſumpſimus.* adeo vt omnis prorſus ambiguitas auferatur, ne quis vel poſſit exiſtimare anno trigeſimo ætatis ſecundam ipſum edidiſſe in Abdiam interpretationẽ, ſed re vera poſt annos triginta à prima elaboraſſe ſecundam: quot enim annos natus erat, cum iam priorẽ elucubrarat, tot ſane annis poſtea interlapſis (vt ait *b*) poſteriorem elaborauit.

*a Hier. de Script. eccl. & præfat. in Amos.*

*b Hier. præfat. in Abdiam.*

LVII.

DE HIERONYMI ÆTATE DISCEPTATIO.

At quorſum, dices, tam exacta de Hieronymi ætate, cum primo in Abdiam Commentarios ſcripſit, temporis exploratio? Haud quidem intelliges otioſe ſuſceptam, ſi de ætate Hieronymi diuerſas conſideres diuerſorum ſententias, eaſdemque longe à verbis eius abhorrentes. Vt in primis cum teſtetur S. Proſper in Chronico S. Hieronymum diem obiiſſe Theodoſio iuniore nonum, & Cõſtantio tertium Coſſ. (eſt is annus Domini quadringenteſimus vigeſimus) addatque eum tunc fuiſſe ætatis annorum nonaginta vnius: ea ratione dicendum eſſet, hoc anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo perueniſſe iam ad annum ætatis ſuæ quadrageſimum tertium. At quo modo hæc concilies cum pluribus eiuſdem Hieronymi locis citatis ſuperius & aliis inferius adducendis, quibus ſe adoleſcentem, vel adoleſcentulum ſæpe nominat? Quod ſi cum aliis dixeris Hieronymum perueniſſe ad annos ætatis nonaginta octo vel nouem: iam hoc tempore quinquagenarium ipſum conſtitues. Sed plane & hallucinati ſunt iidem, dum habent *c*, ipſum deceſſiſſe anno duodecimo Honorii Imperatoris, qui eſt annus Domini quadringenteſimus ſeptimus. qua ratione illud ſequeretur abſurdius, ac plane portentum, ipſum hoc tempore annorum fuiſſe ſeptuaginta trium: quo (vt diximus) ſe adoleſcentulum ſæpe nominat.

*c Bed. Vſuard. Ado in Martyrol. Sigeber. in Chron Auctor incert. in Vita S. Hieron.*

LVIII.

Sed miſſis his, Proſperi tantum Chronologiæ nobis habenda ratio eſt, vtpote res ſui temporis conſignantis: quem ſicut non dubitamus certum verumq; annum eius obitus ex Conſulibus demonſtraſſe, quod res illa eſſet ob egregiam viri famam omnibus manifeſta: ita de numero annorum, quo vixit (cum de his haud ita certa & explorata veritas eſſe contingeret) putamus erraſſe. Nam quem ea ratione conſtat hoc tempore fuiſſe annorum quadraginta trium, tempore obitus Iuliani Apoſtatæ eum natũ fuiſſe annos triginta quatuor dicendum eſſet: nam Iulianum certum eſt obiiſſe anno Domini trecenteſimo ſexageſimo tertio. At ſi ita eſt, quonam pacto verũ erit, quod de ſe teſtatur S. Hieronymus *d*, tunc temporis fuiſſe puerum & grammaticis facultatibus adhuc ſub gentili imbui præceptore? Sed ſecundum veriorem à nobis ex verbis ipſius Hieronymi initam rationem, quem hoc vel ſequenti anno diximus ſuæ ætatis annum trigeſimum attigiſſe, erat ipſe tempore obitus Iuliani annum agens circa vigeſimum.

ÆTAS HIERONYMI TEMPORE IVLIANI OBITVS.

*d Hier. in Abac. c. 3.*

LIX.

Sed quonam modo, rurſum inſtabis, ſe puerum eſſe ait, & adhuc ſub magiſtro grammatices, quem pernicitate ingenii eiuſmodi rudimenta ante pubertatem aſſecutum eſſe, quiſq; iure putarit? Ex his perſpicio, lector, quãtum abhorreas ab aliorum ſententia de maiori numero annorum ætatis ipſius ſancti Hieronymi, qui nobis longe minorem ſtatuentibus minime acquieſcis. Vt autem cuncta magis perſpecta habeas, illud in primis attende: Facile erit, vt in mille labatur errores & in diuerſa feratur, qui eiuſdem ſancti Hieronymi in locutione tropos minime conſiderauerit & figuras, cum interdum attenuatione, amplificatione vero aliquando vtatur. Et quod ad præſens pertinet argumentum, nihil eſt, quod mireris, ſi ſe annorum viginti puerum vocat: nam & cum de commoratione ſua in eremo ad Nepotianum ſcribit, ſic ait *e*: *Dum eſſem adoleſcens, immo pene puer, & primos impetus laſciuientis ætatis eremi duritia refrenarem, &c.* cum alioqui, vt ex ipſiuſmet aſſertione vidimus, eſſet tunc annos natus amplius triginta: nam conſtat de eo loqui tempore, quo iam ex eremo Heliodorus receſſerat, quem illis, de quibus meminit, proſecutus eſt literis. Sed quid amplius? quod magis mireris, agens de memorabili illo terræmotu & Orientis clade, cum maris excreſcentia vrbes obruit, quam ex Ammiano vidimus accidiſſe ſub Conſulatu Valentiniani atque Valentis, anno Domini trecenteſimo ſexageſimo quinto: ipſe tamen Hieronymus poſtea iam ſenex, cum eius meminit in Commentariis in Eſaiam *f*, ea prodigia accidiſſe dicit in ſua infantia: cum iuxta minimam annorũ à nobis initam rationem appareat, cum tunc fuiſſe ætatis annorum viginti duorum: Sed & quem tradit Commentarium in Abdiam, de quo eſt ſermo, anno trigeſimo ætatis elucubraſſe, poſtea cum iam ſexagenarius in idem opus rurſum incubuit, ait *g*: *Per vetera veſtigia rurſum ingrediar, emendans, ſi fieri poteſt, curuos apices literarum: infans eram, nec dum ſcribere noueram; titubabat manus, tremebant articuli.* & quæ ſequuntur.

*e Hieron. epiſt. 2.*

*f Hier. in Eſa. c. 15.*

*g Hier. præfat. in Abdiam.*

LX.

Cæterum quod non puerum tantum ſe fuiſſe ſignificat tempore obitus Iuliani, ſed qui Grammaticis literis imbueretur: nec quidem, puto, dabis viginti annorum numerum ætatis eius. Verum attende verba illa Hieronymi: *Dum eſſem puer, & in Grammaticæ ludo exercerer*: haud ita accipienda eſſe, quaſi tunc addiſceret rudimenta Grammatices, ſed quod eadem voce ſignificatur, in ipſa verſaretur recte loquendi atque ſcribendi ſcientia, quæ ita ex ſententia Quintiliani, quod multiplex & varia ſit ac copioſa, viros quoque faciat eſſe diſcipulos, hiſque ſanctum Hieronymum non modo vſque ad illum ætatis annum fuiſſe detentum, ſed etiam (vt ipſe teſtatur *h*) vſq; ad profectionem in eremum, dum ait, poſt Quintiliani, Ciceronis, Frontonis atque Plinii perlecta volumina, cœpiſſe Hebraica addiſcere elementa. Sed & cum dicat alibi *i*, ſe puerum in controuerſiis luſiſſe, plane declarat, quid eſt, quod item ait, ſe puerum tempore obitus Iuliani in ludo Grammaticæ exercuiſſe, cum tamen aliarum ſcientiarum facultates minime prætermiſerit: nam ipſe alio in loco *k*: *Ab ipſis*, inquit, *cunabulis inter Grammaticos & Rhetores atque Philoſophos detriti ſumus*, vt intelligas, qui ſe Grammatices tradit tunc imbutum diſciplinis, aliis ſimul facultatibus excultum fuiſſe: ac plane cognoſcas, haud tunc ſub ferula puerum, ſed adoleſcentem etiam inter Philoſophos verſatum eſſe.

*h Hier. ep. 4. & ep. 120.*

*i Hier. li. 1. cont. Pelag. & in epiſt. ad Galat. c. 1.*

*k Hier. præfat. in lib. ep. 113.*

LXI.

Hac igitur de annis ſancti Hieronymi accurata habita ratione, quem hoc tempore dicimus fuiſſe annorũ triginta, vel paulo amplius, conſentientes pariter Proſpero affirmanti ſub nono Conſulatu Theodoſii iunioris, anno videlicet Domini vigeſimo ſupra quadringenteſimum, defunctum eſſe, dicimus eum vixiſſe annos ſeptuaginta & octo, vel nouem, natumque ſub Conſtantio Imperatore, Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, vel tertio. Sed ad ſcripta eius in eremo redeamus. Origenis homilias ab illo ad populum dictas ſe adoleſcentem in Latinum vertiſſe tradit *l*. Indeque etiam epiſtolas complures dedit, vt inter alias ad Ruffinum, qua eum de Bonoſi perarduo arrepto vitæ inſtituto reddidit certiorem: & quas recenſuimus epiſtolas duas ad Damaſum, necnõ illam ad Heliodorum, cum ab eo receſſiſſet, ad Florentium duas, ad Iulianum diaconum, & Nicæam ſubdiaconum, ad Chromatium, Iouinum & Euſebium fratres, necnon ad Chryſogonum monachum. Quantum vero temporis in ea permanſerit ſolitudine, dicemus poſtea.

*l Hier. Apol. aduer. Ruffin. lib. 2.*

LXII.

OBITVS PATRIS GREGOR. NAZ.

Hoc ipſo tempore Gregorius Nazianzenus parentum obitu exſoluit ſe ab adminiſtratione Eccleſiæ Nazianzenæ, prout ante condixerat, cum ad eius regimẽ, cogente parente, inuitus attractus eſt; quod contigiſſe diximus

mus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mus anno præterito. Parentes vero modicum poſt tempus elapſum ex hac vita migraſſe, eiuſdem Gregorii teſtificatione retulimus. Defunctus eſt igitur pater (vt ipſe Gregorius ait) cum annos quadraginta quinq; eidem Eccleſiæ præfuiſſet, natus annos quaſi centum: *Cum autem,* inquit *a, centum fermè annos vixiſſet, hoc eſt, vltra Dauidicos de temporis noſtri ſpatio terminos, ex iisq; ſacerdotio quinq; & quadraginta, quæ fere vitæ humanæ menſura eſt, exegiſſet, ita demum in bona ſenectute vitam claudit.* hæc Gregorius illa ipſa oratione, quam in funere patris habuit, præſente S. Baſilio, quem contigit tunc adeſſe, cum etiam matrem adhuc licet viuentē eadem oratione laudauit, eiuſdem, qua pater, ætatis: nam ibi de ea: *Reſtat iam, vt cum ſpirituali Sara, magni noſtri patris Abrahæ coniuge, atq; eiuſdem ætatis, de iis, quæ ad funus ſpectant, philoſopher.* quantum autem poſt obitum Gregorii ſenioris ipſa ſuperſtes fuerit, haud compertum habetur: ſed quod ipſe dicat cito ſe poſt ſuſceptam curam Eccleſiæ Nazianzenæ parentibus orbatum fuiſſe, eam quoq; non diu ſuperuixiſſe poſſumus intelligere: nam ait *b*:

a Gregor. Naz. orat. in fun. patris.

*Aſt vt parentes vltimo functi die*
*Tenuere ſedes expetitas perdiu:*
*Liber relictus ſum q; plane incommode.*

b Gregor. Nazian. in carmin. de vita ſua.

Sic igitur Gregorius orbatus parentibus, haud adduci potuit, vt vel diem vnum in adminiſtratione Eccleſiæ Nazianzenæ perſeueraret, rogante licet S. Baſilio, & aliis ſimul Epiſcopis & ciuibus precibus importunis id ipſum efflagitantibus: à quibus omnibus, captata fuga, ſe abripuit, profectus Seleuciam pietatis ergo ad Memoriam S. Theclæ, quo frequens fidelium peregrinatio eſſe ſolebat, vt ipſe hiſce Iambis cecinit *c*:

GREGOR. NAZIAN. FVGIT SELEVCIAM.

*Non deſinebam dicere gregi Præſulum,*
*Magni hoc ab ipſis muneris poſcens loco,*
*Epiſcopum quendam oppido vt præponerent:*
*Illudq; vere dictitans, nullam mihi*
*Datam eſſe ſedem publico præconio:*
*Ac rurſus iſtud pectori iam olim meo*
*Sediſſe, amicos linquere & negotia.*
*Cum non mouerent hæc eos, vel quod mei*
*Amor hos teneret, vel quod hos faſtus grauis:*
*Primum fuga me confero Seleuciam,*
*Vbi virgo Theclæ fanum habet celebre admodum:*
*Sic forte, dicens, temporis feſſi mora*
*Tradent habenas cuipiam heroſſerum fore,*
*Illic peregi tempus haud ſane breue.*

c Gregor. in carm. de vita ſua.

Permanſit autem Seleuciæ Gregorius vſque ad Valentis obitum: quando reuerſus, licet Eccleſiam Nazianzenam reperiſſet adhuc paſtore carentem, Epiſcoporum tamen concilium haud amplius de eo præficiendo illi Eccleſiæ laborauit, ſed ſaluberrimum illud conſilium iniit, vt ipſum mitteret Conſtantinopolim ad erigendam iacentem Eccleſiam tot annis ſub Arianis Epiſcopis Arianoq; Imperatore gementem. Quo modo autem hæc ſe habuerint, & quo potiſſimū anno id acciderit, ſuo loco dicemus. Quod ergo ait ad ſanctæ Theclæ Martyrium Seleuciæ haud breue tempus peregiſſe: ſi quis numeret tempus medium interlabens ab anno præſenti vſq; ad Valentis necem, ſex ibi eum annos conſediſſe inueniet.

LXIII. OBITVS ATHAN. EPISCOPI ALEXANDRINI.

Hoc item anno, iiſdemque Conſulibus, S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus poſt innumeros pro tuenda fide Catholica ſuſceptos labores, cum ſediſſet annos quadraginta ſex, ſexto Nonas Maii, ſolutus carnis vinculis, accepturus immortalitatis coronam, migrauit in cœlum. Hic primo corrigimus, quod aliquando cum Socrate nos dixiſſe meminimus, ipſum anno ſuperiori, nempe trecenteſimo ſeptuageſimo primo, defunctum eſſe. Porro cum conſtet, anno ſequenti à Nicæno Concilio, nempe Domini trecenteſimo vigeſimo ſexto, fuiſſe creatum Epiſcopum Alexandrinum, atque annis quadraginta ſex ſuperuixiſſe, ad hunc vſq; annū oportuit perueniſſe, licet apud Hieronymi Chronicon anno ſequenti ponatur ſubſtitutio ſucceſſoris. De tempore ſedis eius Ruffinus, qui tunc cum Melania erat in Ægypto, ita ſcribit *d*: *Igitur ea tempeſtate, cum quadrageſimo & ſexto anno ſacerdotii ſui Athanaſius poſt multos agones, multaſque patientiæ coronas quieuiſſet in pace, ſciſcitatus de ſucceſſore, Petrum tribulationum ſuarum participem & ſocium delegit,* hæc ipſe: itemque S. Cyrillus eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, de tempore, quo ſedit idem Athanaſius ad monachos ſcribens, hæc ait *e*: *Celebris memoriæ Pater noſter Athanaſius, qui Alexandrinæ Eccleſiæ ſedem integros quadraginta ſex annos cum decore moderatus eſt, & loquacibus impiorum hæreticorum nugis inexpugnabili quadam & Apoſtolica prudentia reſtitit, quaſi flagrantiſſimo quodam vnguento ipſum cœlum ſcriptis ſuis exhilarauit, &c.* Si igitur ex ſententia Cyrilli, quem hæc omnia exploratiſſima habuiſſe oportuit, vtpote eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, quadraginta ſex annos, eoſdemque integros Athanaſius ſediſſe traditur, mendacii arguitur Socrates, qui cum totidem eius ſedis annos eidem tribuat, deceſſiſſe tamen ait anno ſuperiori, Gratiano & Probo Conſulibus. At hæc ſatis de tempore.

d Ruffin. l. 2. c. 3.

e Cyril. Epiſt. 1.

LXIV. f Gregor. Naz. orat. in laud. Athanaſii. CELEBRIS MEMORIA ATHANASII.

Porro de eius obitu ſic Gregorius Nazianz. *f*: *In bona,* inquit, *ſenectute vitam claudit, patribusq; ſuis Patriarchis, & Prophetis, Apoſtolis & Martyribus, qui pro veritate dimicauerant, adiungitur. Atque vt Epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in diſceſſu decoratur, quam quo in ciuitatis ingreſſibus cumulatus fuerit: ſic videlicet è vita migrans, vt multas lachrymas excitaret, maioremque iis rebus, quæ in aſpectum cadunt, nominis ſui gloriam in omnium animis reconderet.* hæc & alia plurima in eius laudem Gregorius, qui probe ſciens precibus ſanctorum hic adiuuari fideles, ad poſtremum ipſo fine orationis eundem eiuſmodi interpellat apoſtrophe: *Nos autem vtinam ipſe benignus è cœlis aſpicias, atque hunc populum gubernes, perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patris & Filii & Spiritus ſancti contemplatione percipitur & colitur, adoratorem: meq; ſiquidem res pacatæ futuræ ſint, in vita retinens, gregem mecum paſcas: ſi autem Eccleſia bellis flagratura eſt, reducas atque aſſumas tecum, & cum tui ſimilibus colloces, tametſi magnum ſit, quod poſtulo.* hæc ipſe in oratione panegyrica habita in die anniuerſaria natalis illius, quæ ſicut Orientalibus, ita & Occidentalibus remanſit perpetua memoria conſecrata.

LXV.

Sunto hic loco epitaphii, quæ idem Gregorius Nazianzenus in oratione, quam habuit in laudem Heronis, de Athanaſio prædicat, cum hiſce titulis eum celebrat, nominatque *Orbis oculum, ſacerdotum Antiſtitem, confeſſorem, ducem & magiſtrum, ſublimem vocem, fidei columen, ſecundam Chriſti lucernam, præcurſorem.* At prægrandis quidem liber conficiendus eſſet, ſi omnes præſtantiſſimi ſacerdotis laudes à Patribus editas quis ſimul in vnum congereret: cum nihilominus impar ſit omnis lingua ad celeberrima eius recenſenda certamina, primo ſub Conſtantino, ſub Conſtantio poſtea, inde ſub Iuliano, atq; ad vltimum Valentiniano Imperatoribus, pro fide ſuſcepta: vt nullus alius (fidenter dicam) ſit inuentus poſt Apoſtolos in Eccleſia Dei qui acerbiora diuturnioraque ſubierit prælia pro Patrum fide tuenda, ac Magnus hic, imo maximus Athanaſius.

LXVI. SCRIPTA S. ATHANASII. g Hier. de ſcript. Eccl. in Athan.

Reliquit præclara ſcriptorum ſuorum monumenta, de quibus hæc in primis S. Hieronymus *g*: *Feruntur eius aduerſus Gentes duo libri, & contra Valentem & Vrſacium vnus, & de Virginitate, & de perſecutionibus Arianorum plurimi, & de Pſalmorum titulis, & hiſtoria Antonii monachi vitam continens, & ἑορταστικαὶ epiſtolæ,* de feſtis ſcilicet diebus conſcriptæ; *& multa alia, quæ numerare longum eſt.* dolemus epiſtolarum eius factam eſſe iacturam, quas alibi etiam idem Hieronymus *h* laudat. erat vna ex ipſis epiſtola ad Ruffinianum, cuius fragmentum recitatur in Concilio Nicæno *i* ſecundo. Ex Athanaſii ſcriptis hæc recitat Damaſcenus *k*: *Scimus beatum Athanaſium ſanctorum reliquias non in vrnis collocandas, ſed humi condendas eſſe, eo conſilio cenſuiſſe, vt abſurdum Aegyptiorum morem abrogaret, qui mortuos ſuos non ſub terra condebant, ſed in lectulis & ſympodiis collocabant.* meminimus alias de eiuſmodi Ægyptiorum conſuetudine. Ex antiquo autem Eccleſiæ vſu altaria eſſe ſolere ſepulchra martyrum, ſuperius eſt demonſtratum: ſcimus tamen Alexandriæ etiam ſub Theophilo eius ſedis Epiſcopo perſeueraſſe morem illum, vt reliquiæ martyrum extra tumulum poſitæ populo certis diebus venerationi exponerentur; vt Eunapius Sardianus, cum agit de Serapidis

h Hier. ad Lucam, ep. 7
i Concil. Nicæn. 2. Act. 1.
k Damaſc. de imag. orat. 1.

templi

templi ruina, teſtatur. De Athanaſii ſcriptis magna auiditate perquirendis, perquiſitiſque colendis, eſt illa præclara Coſmæ a Abbatis apud Sophronium ſententia: *Cum, inquit, ex ſancti Athanaſii opuſculis aliquid inueneris, nec adſcribendum chartas habueris, in veſtimentis tuis ſcribe illud.*

a *Prat. ſpirit. c. 40.*

LXVII. PETRVS IN LOCVM ATHANASII SVBROGATVS.

Sed iam ad ea, quæ poſt ſanctiſſimi viri obitum geſta ſunt Alexandriæ, funeſta quidem & deplorata, conuertamus orationem. Qui ſtabat pro muro domui Iſrael, ſublato pariete, quo ſtante, Arianorum nemini, ac ne ipſi quidem Imperatori ad Alexandrinam Eccleſiam inuadendam acceſſus patuit: mox iidem fidei hoſtes magno impetu atque furore in eam graſſati ſunt. Defuncto ſcilicet Magno illo Athanaſio, eius calculo probatus ſucceſſor Petrus eiuſdem Eccleſiæ presbyter, ætate ſenex, virtutibus omnibus conſummatus, quem Gregorius b Nazianzenus ſummis laudibus celebrat, euectus in thronũ, mouit vehementer Arianorum inuidiam: qui freti auxilio Præſidum, & in primis Valentis Imperatoris auctoritate atq; potentia, qua pollebant, Lucium illum omnium Arianorum nequiſſimum, quem olim necato Gregorio illo teterrimo, in locum eius ſubrogauerant ſucceſſorem, Alexandrinum oſtentant Epiſcopum, ad eiq; vni parendum populum vi adhibita militari compellunt. At quonam modo cuncta hæc geſta fuerint, ex Theodoreto c in primis petita proſequamur hiſtoria, qui à ſuffectione Petri narrationem aggreditur verbis iſtis:

b *Gregor. Naz. orat. ad Epiſc. Aegypt.*

c *Theod. li. 4. c. 18, 19.*

LXVIII. *Petrus vir facile optimus præſulatum illum obtinuit, quem primum beatus Athanaſius ſuo ſuffragio deſignarat: eiuſque electioni ab omnibus tam ſacerdotibus, quam magiſtratibus aſſenſum eſt: populuſque vniuerſus acclamationibus, quantum lætitiæ percepiſſet, demonſtrauit: nam laborum ab Athanaſio ſuſceptorum ſocius particeps fuit, & cum eo tum ibi vitam degente, tum peregrinante, ſemper verſatus eſt, & varios labores cum illo vna exantlauit. Quapropter Epiſcopi vicini eo ſimul ire maturant; & qui vitam ſeuera diſciplina exigebant, nempe monachi, ijs ea relicta, ad Petrum in ſede Athanaſii collocandum ſe conferunt. Poſtquam vero in ſede Epiſcopali locatus erat, Præfectus illius prouinciæ collecta Gentilium & Iudæorum multitudine, Eccleſiæ parietes circumſedit, deditque Petro mandatum, vt exiret: atque adeo minatus eſt, eum, niſi exiret, inuitum inde exturbaturum. Atque iſta egit, ſimulans quidem ſe velle Imperatori gratificari, & contrariam doctrinam tuentes grauibus afficere incommodis; ſed re vera vt impiæ iræ, qua exardeſcebat, indulgeret: nam colendis ſimulachris penitus addictus erat, & feſti ſplendidiſſimi loco habuit turbulentam Eccleſiæ iactationem. Proinde Petrus ille admirabilis, cum bellum ex inopinato ortum videret, de Eccleſia egreditur, & conſcenſa naui Romam contendit.*

PETRVS FVGATVS A PRÆSIDE ROMAM PETIT.

LXIX. *Paucis intermiſſis diebus, Euzoius Antiochiæ Epiſcopus Lucium ſecum ducens, Alexandriam aduentat, eique tradit Eccleſias, de cuius impietate ac ſcelere Samoſata ſatis ſeciſſet periculi. Populus autem doctrina Athanaſii educatus cum contrarium alimentum ſibi præberi cerneret, conuentus Eccleſiaſticos deſeruit. Quapropter Lucius ſubſidio ſatellitum, qui ſimulacra colebant, vſus, alios verberibus cædere, includere in carcerem alios, nonnullos per vim in fugam vertere, quorundam ædes inſtar barbarorum vaſtare cœpit.* hæc ipſe. Sed antequam vlterius progrediamur, de fuga Petri quid alii ſcripſerint, in medium afferamus. Sozomenus d enim habet, Euzoium vna cum Magno Quæſtore veniſſe Alexandriam, arreptumque Petrum detruſiſſe in carcerem, ipſum vero inde clam fuga lapſum, conſcenſa naui. Romam ad Romanum Pontificem ſe contuliſſe, vtpote eiuſdem Catholicæ fidei protectorem. hæc eadem quoque Socrates e: ſed Ruffinus f nihil de Petri carcere. At graſſationem hanc primo factam ab Arianis, ex Gregorio Nazianzeno eam exacte deſcribente reddamus, qui hæc ait g in primis de Lucio: *Poſtquam ille,* Athanaſius, *extremo vitæ die functus eſt, ac ſecunda quadam Aegypti plaga ſe in ipſam Eccleſiam immiſit, ille, inquam, veritatis proditor, ille luporum paſtor, ille per caulam tranſcendens latro, ſecundus ille Arius, turbida illa, & amara euerſio, ille impio fonte vberior fluuius: piget me quidem temporis illius flagitia, immaneſque cædes, cum quibus ſacroſanctam ſedem homo ferus & barbarus inuaſit, nefanique illius ingreſſus præludia referre: ex multis tamen pauca deplorabo, quæ vos quoq; mecum deplorabitis, & iam ante deploraſtis, ad eamq; etiam Dauidis h verbis vtar: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam.* & paulo poſt:

POPVLVS AVERSATVR LVCIVM.

d *Sozom. li. 6. c. 19.*

e *Socr. li. 4. c. 16. 17.*

f *Ruffin. l. 2. cap. 3.*

g *Gregor. Naz. orat. in laud. Heron.*

GRASSATIO FACTA PER LVCIVM IN ALEX. ECCLESIAM.

h *Pſal. 78.*

LXX. *Ducis munere fungebatur homo ſceleratus, Deique contemptor, ne Chriſtiani quidem nomen gerens (hoc enim totius contumeliæ indigniſſimum eſt) verum ab idolis ad Dei templum properans, ab impuris ſacrificiorum cruoribus ad execrabiliores & deteſtabiliores, ac fortaſſe huiuſmodi aduerſus nos contumelia quaſi victima quadam dæmonibus litans* (Palladius hic erat Gentilis homo, Ægypti Præfectus.) *Prodibant in aciem copiæ iracundia feruentes, immanis & importunus exercitus aduerſus inermes homines, bellicæque rationis ignaros: expellebatur Antiſtes Athanaſii ſucceſſor, quem præter inaugurationem rite atque ordine ſpirituali peractam, canicies & prudentia decorabant: regnabat autem Tabeel alienæ ſedis hæres i; aduerſus ſanctos arma; aduerſus eas res, quas diripi nefas erat, impuræ manus; aduerſus pſalmos tubarum clangor.*

i *Eſai. 7.*

LXXI. DEPLORANDA CALAMITAS ECCLESIÆ ALEXANDRINÆ.

*Iam quæ ſequuntur, conſidera, cadentes viros in locis ſanctis pedibus protritas mulieres, nonnullas etiam cum naturæ onere præmaturos partus, vel vt aptius dicam, non partus, virgines miſerabilem in modum diſtractas, fœdius etiam cruciatas (iam & ob fœminas & ob viros pudore impedior, quo minus crudelitatis modum exponam, atque occulta dedecoris ſermone denudem, vtpote ob quas etiam tum denudatas erubeſcam) alias in interioris templi puteos ſeſe deijcientes, alias ex editiore loco ſe ipſas in præceps dantes propter earum rerum, quas cernebant, indignitatem, alias denique ſuper eas, quæ iacebant, aceruatim collabentes. Adde cædes cædibus, caſus caſibus ſuccedentes, ſancta profanis pedibus calcata, altaria per obſcœnos geſtus & impudicas cantiones, atque vt audio (hoccine lingua audax proferet) ſaltationes, fœdaſq; membrorum inflexiones probro & contumeliæ habita. Adde blaſphemas linguas in ſacroſanctis thronis concionantes, myſteria ſugillata, pſalmodias ſilentio compreſſas, gemitus in earum locum excitatos, fluentes ſanguinis riuos, lachrymarum fontes, ſacerdotes per vim abductos, monachos laceratos, expreſſam denique incurſionis illius imaginem, qua quondam Aſſyrij ſanctam Hieroſolymam populati ſunt, quam nec oratio vt dignum eſt, exprimere, nec auris capere poteſt: vnus vt Hieremias ad eam calamitatem pro dignitate deplorandam adhibendus ſit, qui etiam lachrymarum k fontes expoſcit, atque ex vrbis mœnibus ob eaſdem calamitates ad luctum l homines hortatur, iiſq; Sion luctum indicit, eo quod nullos, à quibus feſta celebrentur, adducant. Hanc tragœdiam Oriens quidem vidit, at Occidens quoq; defleuit, cui immanitatis huiuſce ſigna fugitiuus Antiſtes publice ſpectanda propoſuit.*

k *Hier. 9.*

l *Thren. 1.*

LXXII. *Nam pro cadaueribus cruentas veſtes Eccleſiæ Romanæ protulit, & per tacitam accuſationem omnibus lachrymas mouit, vt calamitatis magnitudinem in oculis & aſpectu defigeret, atque auxilium nanciſceretur, quemadmodum etiam nactum eſſe ſcimus. Fit enim fere, vt qui opibus & potentia præcellit, ad infirmi afflictique miſeriam ſubleuandam maxime inflectatur, ac ſpontaneæ beneuolentiæ affectu ad eum, qui dignitate imminutus eſt, ſe adiungat.* hæc quidem Damaſus Petro præſtitit, ſed de his poſtea. Iſta itaque à Gregorio Nazianzeno ſummatim recenſita ſcias, paucíſque narrata: extat enim ipſius Petri Epiſcopi Alexandrini circularis epiſtola tunc ad omnes Chriſtianæ religionis toto Orbe diffuſas Eccleſias ſcripta, quam hic deſcribendam putamus, vt ſe habet apud Theodoretum m, prætermiſſo eius exordio & aliis, à narratione ſic inchoantes.

m *Theod. lib. 4. c. 20.*

LXXIII. EPIST. PETRI ALEXANDR. EPISCOPI DE CLADE ALEXAND. ECCLESIÆ.

*Prouinciæ illius Præfectus Palladius, profeſſione Gentilis, & ſimulacris colendis ſemper deditus, quoniam ſæpe animo inſtituerat bellum contra Chriſtum gerere: tandem copiis, quas ſupra dixi, in vnum coactis, Eccleſiam non aliter, quam barbaros ſubiugare maturat. Tum vero, tum inquam, facinora longe improbiſſima admiſſa fuere, quæ dum volebam ſolum commemorare, eorum memoria tantum mihi attulit doloris, vt immenſam vim lacrymarum profuderim, quæ ſane ægritudo me diu admodum oppreſſiſſet, niſi diuina quadam cogitatione eam lenire aggreſſus fuiſſem. Nam copiæ in Eccleſiam Theonæ (ſic enim vocabatur) ingreſſæ, pro verbis grauibus & Eccleſiæ dignis, ſimulacrorum laudes decantare, pro diuinarum literarum lectione, plauſus indecoros edere, fractaſque voces cum obſcœnitate fundere, & contumelias in Chriſti virgines iacere non ſunt verita: quas quidem contumelias lingua referre reformidat, quippe cum dictu turpes ſint: nam quiſnam bene ſanus,*

cum

cum eas tantummodo audiret, non aures penitus obſtrueret, imo vero optaret ſe potius ſurdum eſſe quam vt tantam obſcœnitatem auribus perciperet? Sed vtinam verborum turpitudine contenti in ea re ſolum deliquiſſent, & non improbitate factorum verborum petulantiam longe ſuperaſſent. Nam conuitium, qualecunq; illud ſit, eſt quidem tolerabile, præſertim his, in quorum animis Chriſti prudentia & doctrina diuina habitat. At iſti vaſa iræ aperta ad interitum nati quiſtrepitum laſciuorum ſonorum, & velut ex aquæ ductu (vt ita dicam) erumpētem per nares effundebant: veſtes ſanctarum Chriſti virginum, quarum pia vita cultus exemplar viuendi ſanctorum Angelorum expreſſit, dilacerare: eaſq; nudas, vt in lucem editæ erant per vrbem triumphi loco ducere, & pro ſua libidine petulanter & obſcœne irridere cœperunt.

LXXIV. IMMANIA IMPIORVM SCELERA.

Deniq; quæ perpetrata ſunt, tum crudelia erant, tum peregrina. Quod ſi quis his rebus ad miſericordiam inductus, eos vel vi prohibere, vel hortando à talibus facinoribus diſſuadere conaretur; non ſine vulneribus diſceſſit. Verum, proh dolor, multæ virgines per vim ſtupratæ, complures etiam fuſtibus in capite cæſæ mortuæ iacuerunt: quarum corpora tumulis mandandi, nulla omnino permiſſa poteſtas eſt, & propterea complura earum corpora, quæ ſunt ab illarum parentibus cum multo gemitu quæſita, nondum reperiuntur. Sed quid inter res magnas, eas, quæ ſunt exigui momenti proſequor? Aut quid in his immoror, & non ad eas, quæ propter acerbitatem me ad ſe rapiunt, propere ſermonem transfero? quarum, certo ſcio, vos magna capiet admiratio, & velut attoniti iuxta nobiſcum conſiſtetis, obſtupeſcentes admodum, quod Dominus tanta clementia vſus ſit, & non funditus hanc vniuerſitatem deleuerit. Nam quæ neq; facta ſunt, vti ſcriptum eſt, neq; audita in diebus patrum noſtrorum, hæc impij in ipſo altari deſignarunt. Etenim velut in proſcenio, in quo turpis aliqua ageretur fabula, puerum maſculum, qui ſexum denegauerat virilem, & muliebrem ſibi effinxerat, quiq; tum oculos habebat (vt ſcriptis proditum eſt, nempe de Iezabel) ſtibio oblitos, & vultum ſimulacrorum more fuco rubentem, habitu muliebri in ipſo ſancto altari, vbi pro Spiritus ſancti deſcenſu inuocari ſolet, corpore in orbem acto, & manibus huc illucque cum geſtis iactatis ſaltare compulerunt, atq; in riſum immoderatum effuſi nefarias voces ore extulerunt.

LXXV. MONSTRVOSA PRÆSVMPTIO.

Rurſus cum iſtud quoque ad rectum ordinem ſpectare, & præterita facinora decora potius quam nefaria exiſtimarent: vnum ex ſuis turpitudine inſigniter nobilitatum, & vt pudore, ita veſtibus ſicut natus erat, nudatum in ſummo Eccleſiæ ſolio collocant, turpemque contra Chriſtum concionatorem appellant: Nam pro verbis diuinis turpitudinem, pro graui oratione petulantiam, pro pietate impietatem, pro continentia ſtuprum, adulterium, concubitum cum maſculis prædicauit: docuitq; tum alia, tum furtum, cibum & potionem vitæ hominum vtilia eſſe.

PETRI FVGA ET LVCII SVFFECTIO.

Quæ cum ita ſe haberent, & ipſe de Eccleſia deceſſiſſem: qui enim ibi manere poteram, vbi incurſiones à militibus factæ, vbi multitudo argento conducta ad ſeditionem, vbi nimia pecuniæ cupiditas, vbi turbæ Gentilium ampliſſimis promiſſis ad maleficia inuitatæ? Noſter ſcilicet ſucceſſor Lucius, qui partes lupi nequitia & improbe factis agere impenſe ſtudebat, quiq; Epiſcopatum non conſenſu Epiſcoporum Orthodoxorum in vnum conuenientium, non ſuffragiis vere clericorum, non poſtulatione populi, vti ſacræ Eccleſiæ canones præſcribunt, ſed pecunia tanquam dignitatem quandam (vt ita dicam) ſæcularem emerat, illo cum mandato aduenit. Iſtum autem comitati ſunt (ſolus enim in vrbem ingredi non poterat) non Epiſcopi vlli, non presbyteri, non diaconi, non populi multitudo, non monachi hymnos ex ſacris libris de promptos canentes, ſed Euzoius qui iam pridem in ſancto & celebri Nicæno Concilio, cum diaconus eſſet in vrbe noſtra Alexandria, vna cum Ario abdicatus fuerat, nunc autem Præſul Eccleſiæ Antiochenæ, quam velut peſtis labefactat; & Magnus quidem Comes prouincialium largitionum cum ingenti militum manu, vir nullo non impietatis genere ſemper nobilitatus, qui Iuliani temporibus Eccleſiam Beriti (ea tamen eſt vrbs Phœniciæ perilluſtris) incenderat, ſed Iouiano piæ memoriæ Imperatore regnante, eandem ſuis ipſius impenſis erat denuo ædificare coactus, parumq; aberat, quin ſecuri fuiſſet percuſſus, niſi multis pro eodem precantibus, veniam ab Imperatore impetraſſet.

LXXVI. LVCII EXCELLENS IMPIETAS.

Itaque vos, qui incredibili pietatis ſtudio flagratis, quorum opem ad hæc ſcelera vindicanda imploro: hinc conſiderare debetis, quæ & quanta maleficia ab iſto, quem dixi, tyranno Lucio, qui in nos impetum fecit, contra Eccleſiam Dei deſignata ſint. Nam non à veſtra pietate ſolum, verum etiam ab Epiſcopis omnibus Orthodoxis ſæpenumero abdicatus, ciuitatem ſibi iuſtis de cauſis admodum infenſam occupauit. Quinetiam non modo, vti inſipiens ille blaſphemus in Pſalmis loquitur: Dixit inſipiens, non eſt Deus, ſcilicet quod Chriſtus non eſt vere Deus; ſed etiam vitæ inſtitutis & ipſe corruptus eſt, & alios corrumpit, inque maledictis contra Saluatorem ab his, qui creaturam loco creatoris colunt, iactatis plurimum delectatur. Et quid, quæſo, cauſæ eſt, cur cum ſimili cum Gentilibus opinione imbutus ſit, non noua quadam & inaudita impudentia ſceleratus Deum colere audeat? In cuius conſpectu Gentiles has laudes prædicarunt: Gratus eſt nobis tuus, ô Epiſcope, aduentus, qui filium Dei negas. Serapis te amplectitur, huncque adduxit. Atque iſti quidem in eo excipiendo nomen ſimulacri ſui patrij recitarunt.

LXXVII. MAGNI PRÆSIDIS CRVDELITAS.

Porro autem vix momentum temporis iam præterierat, cum Magnus, quem ſupra nominaui, indiuiduus impietatis iſtius comes, ſatelles truculentus, ſatrapa crudeliſſimus, copiis commiſſis ſuæ curæ in vnum collectis, presbyteros & diaconos numero decem & nouem, quorum nonnulli octogeſimum ætatis annum præteriiſſent, comprehendit, & de illis velut in aliquo ſcelere, eoq; Romanorum legibus contrario deprehenſis iudicium publicum exercere, & ignarus legum quæ ſunt pro Chriſtianæ pietatis defenſione ſancitæ, eos compellere cœpit, vti auitam fidem ab Apoſtolis per Patrum ſucceſſionem nobis traditam proderent. Affirmauitq; Valentem Auguſtum Imperatorum clementiſſimum hac re vehementer delectatum iri. Poſtremo cum maxima contentione vocis hæc verba protulit: O miſeri, obſequimini Arianæ opinioni aſſentite. Nam diuinum numen, licet illa, quam colitis, religio vera ſit, ſi non veſtra ſponte, ſed neceſſitate adducti ab ea diſcedatis, veniam vobis daturum eſt: etenim in his, quæ neceſſitate peccantur, relinquitur excuſationi locus: ſed cum ſua ſponte quiſquam deliquerit, carere reprehenſione non poteſt. Quocirca his rationibus ante oculos mentis poſitis, abiecta omni cunctatione, alacri animo noſtræ accedite ſententiæ, & dogmati Ariano, quod iam Lucius (eum namque nominaui) palam prædicat, ſubſcribite: pro certo perſuaſi, quod ſi iſtius doctrinæ obtemperaueritis, ſitis pecuniam, opes, & honores ab Imperatoribus conſecuturi: ſin autem reſtiteritis, tum carceres, tormenta, quæſtiones, flagella, & carnificina vobis ſubeunda ſunt, tum pecuniis vna cum poſſeſſionibus orbati eritis, tum deniq; eiecti è patria, ad loca moleſtiſſima incolenda condemnabimini.

LXXIIX. LIBERA CONFESSIO CATHOLICORVM.

Ad hunc modum igitur generoſus iſte dux, minis cum fraude temperatis, omnes à pia doctrina & ſententia, partim cohortando, partim cogendo deducere ſtuduit. At vero illi quoniam pietatis proditionem plus habere acerbitatis (vti re vera habet) quam vllum cruciatus genus, exiſtimabant: demum neceſſitate compulſi, his verbis ei reſponderunt, virtuteque & virili animorum celſitate fraudem eius pariter & minas profligarunt: Deſine poſthac, deſine his vocibus nos perterrere: à verbis inanibus proferendis tu te cohibe. Nam nos neque nouitium, neque recentem colimus Deum. Ac tametſi tu velut fluctibus iactatus, ſpumam ore temere fundis, & tanquam ventus violentus in nos cum impetu ruis: tamen nos ad extremum vſque ſpiritum ſumus doctrinæ pietatis firme adhæſuri. Neque certe vnquam ſenſimus, Deum potentiæ, ſapientiæ, aut veritatis expertem eſſe: neque Patrem interdum exiſtere, interdum non exiſtere, vti impia Arianorum opinio fert: neque Filium in tempore ortum, aut momentaneum eſſe, opinati ſumus. Nam ſi Filius (ſicut Ariani ſomniant) creatura ſit, & non ſit Patri conſubſtantialis: inde efficeretur, vt Pater quoque non ſit: quippe ſi, vt illi ſentiunt, quodam tempore non extabat Filius, Pater etiam quodam tempore non fuit. Verum ſi Pater ſemper exiſtit, Filio videlicet vero germine, & non ex ſeminis profluuio enaſcentis exiſtente (Deus enim impatibilis) quid eſt, cur non demens & inſanus exiſtimetur ille, qui Filium, per cuius gratiam factum eſt, vt ſint omnia, quodam tempore non fuiſſe ſentiat? Nam Patres noſtri per vniuerſum orbem terrarum diffuſi, ex quorum fide iſti excidentes, merito ſane patre carere dicantur, Nicæa in vnum conuocati, peruerſæ Arij opinioni, cuius patrocinium nouitius iſte ſuſcepit, anathema denunciarunt: & Filium non ex alia eſſentia, quam Patris, quod tu nos iam docere vrges, ſed ex eadem ipſa conſtare aſſeruerunt. Quod quidem præclare & pia cogitatione complexi, Filium & crebra vocum è ſacris literis petitarum collocatione Patri conſubſtantialem ingenue profeſſi ſunt.

LXXIX. CONFESSORES DETRVSI IN

Itaque cum hæc & alia ſimilia dixiſſent, ad multorum dierum ſpatium in carcerem eos concluſit Magnus, ratus ſe eo pacto illos à pia ſententia deducturum. Verum illi, non aliter, quam fortiſſimi

inſta-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

CARCEREM, CÆSI ET IVSSI IN EXILIVM.

in ſtadio athletæ, omni metu penitus depoſito, ſe rebus præclare à Patrioum diuina mente & cogitatione geſtis quaſi perurgentes, multo excelſiores animos ad pietatem propagandam habuerunt, tormenta nihil aliud, quam virtutum gymnaſium arbitrati. Sic igitur cum decertarent, & ſpectaculum (vt ſcribit B. Paulus) tum Angelis, tum hominibus fierent: accurrit tota ciuitas, viſitra Chriſti athletas, verbera Iudicis eos torquentis tolerantia vincentes, & contra impietatem per patientiam erigentes trophæa, & triumphos aduerſus Arianos agentes: quos quidem per minas & fraudem oppreſſos dirus iſte hoſtis libidini eorum, qui impietatem contra Chriſtum exercebant, ſe dediturum cenſuit. Cum igitur tormentis crudeliter eis infligendis fatigatus eſſet, populusq; vniuerſus variis querelæ generibus & multo luctu vteretur: truculentus ille dux, qui omnem exuerat humanitatem, conſuetus ſuis copiis denuo ad ciendum tumultum collectis, Chriſti athletas ad iudicium, imo vero ad iniuſtam condemnationem vocat, eoſque ad littus maris ſiſti iubet; in quo loco cum ſimulacrorum cultores, & Iudæi mercede conducti, more ſuo contra eos vociferarentur; & illi manifeſtæ inſanorum Arianorum impietati cedere nollent; ſententiam de illis, populo vniuerſo ante tribunal grauiter lamentante, pronunciat Magnus, vt Alexandria exacti, ad incolendam Helíopolim vrbem Phœniciæ tranſportarentur. in qua ſane vrbe ne vnus quidem habitabat, qui Chriſti nomen audire (omnes enim ſimulacra colebant) omnino ſuſtineret.

LXXX. Itaque iuſſis illis actutum nauem conſcendere, ille ipſe in littore ſtans (nam in balneis publicis, quæ prope inde aberant, eos condemnauerat) enſem diſtrictum illis oſtendit, ratus quidem ſe terrorem iniecturum eis, qui ancipiti gladio ſpiritus infeſtos dæmones ſæpenumero vulneraſſent. Dat igitur mandatum, vt iam cum neque commeatum vllum in nauem impoſuiſſent, neque quicquam omnino haberent, quo exilij moleſtias ſubleuarent, inde ſoluant. Quo quidem tempore ipſum mare (quod plane mirandum eſt & prope incredibile) vndis agitatum ſpumare cœpit, rei indignitatem, credo, ægre ferens, & penitus (vt ita dicam) recuſans eos viros excipere, ne eo pacto iniqui mandati exequendi particeps fieret: quippe his, qui ignari erant, barbaram & immanem Iudicis voluntatem perſpicue patefecit: adeo vt vere dici poſſet, hac re cœlum ipſum obſtupuiſſe.

LXXXI. LVCTVS ALEXANDRINORVM CATHOLICORVM.

Quin etiam tota ingemuit ciuitas, & adhuc lugere non deſinit. Nam pars alternis manuum ictibus pectora tundendo, ingentem ſtrepitum edere: pars manus ſimul & oculos ad cœlum tollere, quo Deum de vi ſibi illata teſtarentur, & ita fere loqui: Audi cœlum & auribus percipe terra, quam iniqua atque adeo indigna edita ſint facinora. Denique omnia luctu redundare, planctus & eiulatus per vniuerſam vrbem peruadere, flumenque tantum lacrymarum derepente manare, vti ipſum mare ſua inundatione obruere quodammodo videretur. Cum autem Dux iam ad littus aſtans imperaret remigibus, vt vela erigant: tum fiebat fletus promiſcuus virginum, fœminarum, ſenum & iuuenum, tum lamenta cum amaris lacrymis permixta, tunc clamores ab omnibus tam ingentes editi, vt maris vndoſi murmur, quod tumidi fluctus mutuo colliſi excitare ſolent, propemodum obſcurarent. Vt primum vero athletæ Chriſti, quos diximus, appulere Heliopolim, vbi omnes erant ſuperſtitionis dediti, vbi inſtituta diaboli ad voluptatem explendam comparata, vbi horrenda ferarum latibula; nam montes vndique cœlum propter altitudinem pene attingentes vrbem illam obuallabant: omnes deinceps in media vrbe communiter, & ſinguli priuatim lamentari, & lugubres voces fundere cœperunt. Dabatur mandatum à Palladio vrbis illius Præfecto, homine ſuperſtitioni deditiſſimo, vt omnino lachrymari deſinerent. Vnde multi, qui plorabant, hicque prædiuino zelo ſtrenui Eccleſiæ propugnatores arrepti, primum in cuſtodiam coniiciebantur, deinde verberibus cæſi, lacerati, & tormentis affecti, ad metalla in Pheno & Proconneſo amandabantur: inter quos complures erant monachi ad numerum viginti trium, qui qua ſeueram diſciplinam excolerent, in ſolitudine habitarunt, quibus cum vna diaconus, qui literas tum conſolationis, tum communionis à Damaſo Epiſcopo Romano ad nos attulerat, manibus à tergo colligatis, à lictoribus palam tanquam maleficus inſigniter improbus trahebatur.

CATHOLICI VETITI LVGERE.

LXXXII. QVID IN DAMASI DIACONVM ARIANI.

Qui acerbioribus tormentis, quam quiſquam homicida, excruciatus fuit, cuius ceruices lapidibus & plumbo crudeliter verberata erant. Poſtremo naue ad traiiciendum conſcenſa eodem modo cum eo atque cum cæteris actum eſt: nam omni ope ac ſubſidio deſtitutus erat, & propterea ſigno S. Crucis frontem ſignauit: ſicque metallis æneis in Pheno traditus eſt. ita impie actum aduerſus diaconum à Damaſo Roma tunc miſſum Alexandriam. Sed pergit: Porro autem cum Iudex tenera puerorum corpora torqueret, quidam eorum poſt cruciatus remanſere extincti, & iure ſepulturæ defraudati; idque cum parentes, fratres, cognati, & tota pene dixerim ciuitas, poſtularet, vt vnum hoc atque adeo vltimum vitæ ſolatium illis tribueretur. Sed ô ſanam iudicantis, imo vero condemnantis crudelitatem! Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homicidis iudicium ſubeunt, corporaque eorum manent inſepulta: & qui pro fide ſtrenue dimicarint, beſtiis & volucribus obiiciuntur ad vorandum: qui denique patres cæſorum conſcientiæ cauſa commiſerati ſunt, tanquam impij facinoris auctores ſecuri feriuntur. Quæ Romanorum lex, quæ barbarorum ſententia iudicauit in eos, qui patribus cæſorum condoluerunt? Vbinam tale ſcelus à quoquam veterum fuit vnquam patratum? Olim Pharao iuſſerat Hebræorum maſculos trucidari: verum inuidia & metu adductus hoc mandatum dedit. At quæ tum gerebantur, quanto ſunt his, quo modo deſignata ſunt, mitiora? quanto optabiliora, ſi in iniuria optio vlla ſit? quanto tolerabiliora, ſi ſcelus cum ſcelere (cum aliud ab alio ſeiungi nequeat) velimus comparare? Sunt iſta, quæ commemoro, incredibilia quidem, immania, dira, crudelia & barbara, ſine miſericordia, amara: ſed tamen amentes Ariani in illis inſolenter gloriati ſunt, atq; adeo tripudiarunt.

QVID ACTVM IN PVEROS ET EORVM PARENTES.

LXXXIII. Cum enim tota ciuitas in luctu & mœrore eſſet (nulla enim domus erat, in qua, vti in Exodo a ſcriptis proditum eſt, non iaceret mortuus) hi, quorum crudeles animi nullo modo exaturari poterãt, non conquieuerunt, ſed ſcelus de integro exercere aggreſſi ſunt. Nam voluntatem ſuam, quæ ad deteriora inclinabat, patefacientes, ſuæ maleuolentiæ virus in illius prouinciæ Epiſcopos effundere cœperunt. Siquidem opera Magni, quem diximus, Comites largitionum, ſatellites ad iniuriam ſatis inſtructi, nonnullos eorum in iudicium adducere: aliis, quo libitum erat modo inſidias parare, eo conſilio, vt omnes vbique impietatis laqueis irretirent, nihil intentatum relinquentes. Quin etiam omnia loco circuire, non aliter atque diabolus ipſorum hæreſeos parens, quærentes quem deuorent. Atqui cum in eo, quod conabantur, ab omnibus ſe deſtitutos viderent: vndecim tamen Epiſcopos Aegypti, viros, qui ab ineunte ætate ad ſummam vſque ſenectutem ſolitudinem ſeueræ diſciplinæ cauſa incoluerant, qui ſanctam ac ſinceram fidem audacter & libere prædicarant, qui pietatis dogmata vna cum lacte nutricis ſuxerant, qui victoriam contra dæmones reportarant, qui virtute aduerſarium repreſſerant, qui Arianam hæreſim ſuis (vt aiunt) colorib. depinxerant, Magno illo, quem ſupra nominauimus, velut inſtrumento crudelitatis vſi, in exilium eiecerunt: oppidumque nomine Diocæſaream à Iudæis, qui Dominum interfecerant, inhabitatum, incolere compulerunt. Et tamen non aliter, quam orcus, morte fratrum minime ſatiati, vbique terrarum velut amentes ac ſtupidi, ſuæ crudelitatis monumenta relinquere non verentur, atque adeo maleficiis ſe nobilitare ſtudent.

a Exod. 12.

EPISCOPI IN EXILIVM ACTI DIOCÆSAREAM IN PALÆSTINA.

LXXXIV. Ecce enim rurſus Eccleſiæ Catholicæ clericos, qui Antiochiæ commorabantur, quique cum quibuſdam monaſticæ vitæ ſpectatis, tragica eorum ſcelera teſtata apud omnes relinquere conſtituerant ipſi vocibus maledicis contra eos in auribus Imperatoris infuſis, Neocæſaream vrbem Ponti relegandos curauerunt: qui quidem propter locorum aſperitatem vita quoque breui expoliati ſunt. hucuſque ex epiſtola Petri narratio apud Theodoretum, qui mox ſubdit: Tales quidem tempora illa tulere tragœdias: quæ tametſi ſilentio & obliuione obruenda ſunt, tamen literarum monumentis produntur ad eos coarguendos, qui linguis petulantibus Dominum ſunt inſectati: qui quidem morbo blaſphemiæ infecti, non modo in totius vniuerſitatis Dominum & Moderatorem Deum conuicia iacere; verum etiam contra pios eius famulos bellum exitiale ſuſcipere non dubitarunt. hæc ipſe. Meminit quoque eiuſdem diræ perſecutionis S Epiphanius b, qui & præter alia ſupplicia Catholicis Ægyptiis irrogata, nonnullos ex illis tradit fuiſſe damnatos ad beſtias. Sed & Caſſianus de ſanctis monachis cum ſub Lucio in Pontum & in Armeniã relegatis hac meminit occaſione c: Temporibus ſiquidem Lucij, qui Arianæ perfidiæ Epiſcopus fuit ſub Valentis Imperio, dum diaconiam noſtris fratribus deferremus, his videlicet, qui de Aegypto & Thebaide fuerant ob Catholicæ fidei perſeuerantiam metallis Ponti atque Armeniæ relegati, licet cœnobiorum diſciplinam in quibuſdam ciuitatibus rariſſimam viderimus, anachoretarum tamen apud illos ne ipſum quidem nomen auditum fuiſſe comperimus.

ANTIOCHENOS PERTIGIT PERSECVTIO.

b Epiphan. hæreſ. 68.

c Caſſ. coll. 8 c.7.

rimus. hęc per Abbatem Piammonem Caſſianus; in quem potius, quam in illum ad eius libitum inter loquentem reiicienda culpa eſt, ſi de Ponto, quod ait, & Armenia, mendacii arguatur ex iis, quæ ſuperius recitata ſunt ex Gregorio Nazianzeno atque Baſilio, de Ponticis eremis abundantibus anachoretis.

LXXXV. PERSECVTIO ARIANORVM ADVERSVS ÆGYPTI MONACHOS. a Ruffin. l. 2. c. 3. & 4.

Quod autem ad Ægypti monachos ſpectat diriſſime à Lucio exagitatos: Ruffinus, qui cum Melania in Ægypto agebat, hæc de illis ſcriptorum monumentis poſteris legenda tradidit a: *Inde poſt fugas ciuium & exilia, poſt cædes & tormenta, flammaſque, quibus innumeros confecerat, ad monaſteria furoris ſui arma conuertit, vaſtat eremum, & bella quieſcentibus indicit. Tria millia ſimul, aut eo amplius viros per totam eremum ſecreta & ſolitaria habitatione diſperſos oppugnare pariter aggreditur: mittit armatam equitum & peditum manum: Tribunos, præpoſitos, & bellorum duces, tanquam aduerſus barbaros pugnaturus, eligit. Qui cum veniſſent, nouam belli ſpeciem vident, hoſtes ſuos gladio obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, niſi: Amice ad quid veniſti? Per id tempus Patres monachorũ, vitæ & antiquitatis merito, Macarius, Iſidorus, aliuſque Macarius, atque Heraclides & Pambus Antonij diſcipuli per Ægyptum, & maxime in Nitriæ deſerti partibus habebantur viri, qui conſortium vitæ & actuum non cum cæteris mortalibus, ſed cum ſuperni Angelis habere credebantur.*

*Quæ præſens vidi, loquor, & eorum geſta refero, quorum in paſſionibus ſocius eſſe promerui.* & in epiſtola ad Anaſtaſium Romanum Pontificem hæc ita ſe paſſum eſſe gloriatur, cum ait: *Quamuis igitur fides noſtra perſecutionis hæreticorum tempore, cum in ſancta Alexandrina Eccleſia degeremus, in carceribus & in exiliis, quæ pro fide inferebantur, probata ſit: tamen & nunc ſi quis eſt qui vel tentare fidem noſtram cupiat, ſciat, &c.*

LXXXVI. b Hier. Apol. lib. 2. c 2. Tim. 4. RVFINVS IACTANTER CONFESSIONEM OSTENTAT.

At hæc de ſe ſumma iactantia ab ipſo Ruffino eſſe commenta, exclamat ſanctus Hieronymus, cum his recitatis ipſius verbis, ſic ſubdit b: *Miror, quod non adiecerit: Vinctus Ieſu Chriſti & liberatus ſum de ore leonis* c, *& Alexandriæ ad beſtias pugnaui, & curſum conſummaui, fidem ſeruaui: ſupereſt mihi corona iuſtitiæ. Quæ, malum, exilia, quos iſte carceres nominat? Pudet me apertiſſimi mendacij: quaſi carceres & exilia abſque Iudicum ſententiis irrogentur. Volo tamen ipſos ſcire carceres, & quarum prouinciarum ſe dicat exilia ſuſtinuiſſe. Et vtique habet copiam de multis carceribus & infinitis exiliis vnum aliquod nominandi. Prodat nobis confeſſionis ſuæ Acta, quæ hucuſque neſciuimus, vt inter alios Alexandriæ martyres huius quoque geſta recitemus, & contra latratores ſuos poſſit dicere* d: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* hęc Hieronymus.

d Gal. 4.

LXXXVII.

Certe quidem Melania clariſſima fœmina, Conſulis Marcellini neptis, antiqua nobilitate & filii Præfecturæ Vrbanæ magiſtratu toti Romano orbi notiſſima, apud quam primum locum Ruffinus obtinebat, omnium Præfectorum, quocunq; pergeret, frequentabatur obſequiis: tantumq; abfuit, vt vel ipſi, vel alicui ex eius familia irrogata exilia fuerint, ꝙ Ruffinus iactat, vt etiam qui perſecutionem fidei cauſa paterentur, ad ipſam tanquam ad aſylum confugerent, ab eademq; pariter in tuto collocarentur, atq; etiam alerẽtur, vt quæ de ea proxime dicturi ſumus, cum ipſa proceſſit ad Iudicẽ, fidem certam faciũt. At cur Ruffinus, ſicut aliorum, non etiam ſuam recenſuit confeſſionem exemplo Pauli Apoſtoli? quod præſertim ſciret, rem tantam haud ab aduerſariis facile ratam fore habendam abſque aliqua certiori probationis fide, cum alioqui aliorũ confeſſiones adeo exacte deſcribat? Si qua tamen tunc Alexandriæ contigit Ruffini cõfeſſio, ea tantum fuiſſe exiſtimatur, cum prouocata Melania ad iudicium, quod faueret Orthodoxis, ipſe putetur eam comitatus eſſe: ſed dimiſſa illa quantocyus, vtique & qui cum ea erant, rediere domum. Sed de his ſatis.

LXXXVIII. MIRACVLIS PROBATA FIDES CATHOLICA.

Pergens Ruffinus recenſere res tunc geſtas à Nitriæ monachis, hæc ſubdit: *Hi ducebãt exercitum Domini non mortalibus telis, ſed fide religionis armatum, exercitum moriendo vincentem, & qui ſanguinis ſui profuſione victor Chriſtum ſequeretur ad cœlum. Quique dum in tabernaculis poſiti & orantes expectarent interfectores ſuos: delatus eſt ad eos homo olim membris omnibus & & præcipue pedibus aridus: ſed cum ab eis in nomine Domini oleo fuiſſet perunctus, ſtatim confirmatæ ſunt plantæ eius. Et dicentibus eis: In nomine Ieſu Chriſti, quem Lucius perſequitur, ſurge & ſta ſuper pedibus tuis, & redi ad domum tuam: continuo & exurgens & exiliens, benedicebat Deum, oſtendens, quia vere erat in eis Deus. Ante aliquantulum vero temporis cæcus quidam rogabat deduci ſe ad cellulam Macarij, quæ erat in deſerto, itinere trium dierum: quo poſtquam cæcus multo ductantium labore peruenit, Macarium non reperit domi: & contriſtatus valde, nullatenus mitigare mœſtitiam poterat, ſanitatis ſolatio carens. Tum vero feruore fidei concaleſcens: Deprecor (inquit ad eos, qui deduxerant) applicate me ad illam partem parietis, vbi cubare ſenior ſolet. Et cum fuiſſet admotus, parum luti aridi, vnde paries oblitus videbatur, aſſumens, palma ſua ſuperpoſuit. Rogat etiam, vt aquam de puteo, ex quo bibere ſolebat, hauri rent: qua reſoluens glebulam, eodemque luto oculos ſuos ſuperungens, & lauans de aqua, quæ hauſta fuerat, repente recepit viſum, ita vt nullo indigens adminiculo rediret ad ſua. Sed ne ſecundum leproſos illos ageret, quos à ſe curatos in Euangelijs ingratos Dominus notat; cum omni domo ſua regreſſus, & Deo gratias referens, rem, vt geſta fuerat, indicauit.* ſubdit poſt hæc Ruffinus de eodem Macario, qui leunculos cæcitate curauit, proque gratiarum actione à leæna pelle ouina donatus eſt. at hæc contigiſſe diximus viuente adhuc Magno Athanaſio. ſubiungit vero Ruffinus:

*Sed in his omnibus Lucius non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum mirabilibus detulit: quinimo iubet, Patres ipſos ablatos à grege ſuo, imo clam raptos, in inſulam quandam Ægypti paludium deportari, in qua compererat neminem prorſus eſſe Chriſtianum, quo per hoc vel abſque ſolatiis, vel abſque conſuetis actibus viuerent. Senes igitur cum duobus ſolis pediſſequis noctu ad inſulam deducuntur, in qua erat templum quoddam ſumma veneratione à loci incolis obſeruatum. Cumque primum nauicula ſenum oram ſoli illius contigiſſet: ecce ſubito ſacerdotis templi illius virgo filia correpta ſpiritu cum ingenti vociferatione & clamoribus vſque ad cœlum datis, agi per medios populos cœpit; & crebros ducens rotatus, ſtridens, huc atque illuc rabida ora vibrare. Cumque ad ſpectaculum tam ingentis monſtri, maxime quod eſſet ſacerdotis filia, qui in honore præcipuo apud illos erat, populi conueniſſent: per auras eam raptam ſequentes perueniunt vſque ad nauiculam ſenum. Ibi vero proiecta eorum pedibus & proſtrata, clamare cœpit: Quid veniſtis huc, ô ſerui Dei ſummi, antiquis nos & veternoſis euoluere domiciliis? In hoc loco depulſi, vndique latebamus: quomodo vos nequaquam latere potuimus? Cedimus antiquis ſedibus: populos veſtros, terraſque recipite. Cum hæc diceret, increpitus ab eis erroris ſpiritus effugatur: & puella ſana vna cum parentibus ſuis iacebat ad pedes noſtri temporis Apoſtolorum. Qui talibus exordiis prædicantes eis fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in tantam conuerſionem repente eos perduxerunt, vt ſtatim manibus ſuis antiquiſſimum templum & in ſumma veneratione habitum deſtruerent, & eccleſiam confeſtim ædificarent. Nec ad deliberandum ſpatio temporis eguerunt, quibus fidem rerum fecerant non verba, ſed virtus. Sed hoc cum fuiſſet Alexandriæ nunciatum; veritus Lucius, ne forte etiam ſuorum in eum odia iuſta conſurgerent, qui aperte iam bellum non hominibus, ſed Deo indiceret; occulte eos reuocari, & in eremum remitti iubet.* hactenus de his aduerſus ſanctos monachos geſtis Ruffinus præſens omnium teſtis, in Ægypto tum (vt dictum eſt) cum Melania agens.

LXXXIX. MONACHI RELEGANTVR IN INSVLAM.

POPVLI AD FIDEM CONVERSI PER MONACHOS EXVLES.

XC. AVCTORIS DIGNA CONSIDERATIO.

Vide, lector, bella Domini, & conſidera: ſtare pro Arianis Præfectos, Prætores, ſatellites, apparitores, truculentoſque carnifices, æſtuare de Catholicis carceres, exeri gladios, parari ſecures, incendi ignes, ſolui virgarũ faſces, beſtias introduci, armari Iudæos ſimulque Gentiles cum Arianis, ſcribi ſententias, proſcribi Catholicos, repleri metalla piis, exulibus & extorribus exundare prouincias, cædibus demetiri ciuitatem, ſanctorũ carnibus paſci volucres atq; canes: contra vero intuere, ſtare pro piis Deũ, ac ſuam præſentiam euidentiſſimis reddere certam miraculis, cogereque impiorum omnium ductores dæmones ſuam ipſorum fateri imbecillitatem, victos recedere, ſedibus abſcedere diutius occupatis: vt occinere illud libere liceat e: *Nobiſcum Deus.* atque illud maiori fiducia prædicare f: *Plures pro nobis, quam contra nos.* Sunt hæc adeo perſpicua, omniq; fide digniſſima, & quauis exiſtimatione maiora, vt neminem putem ita impium, menteq; alienatum ſuiq; oblitum, qui iſta conſiderans, non potius ſtans me-

e Iſa. 7. f 4. Reg. 6.

dius eligat in caſtris ſanctorum mereri, quam à Lucii partibus ſtare: cui militare ſcias non Arianos tantum, ſed omnes hæreticos, qui quacunq; occaſione à fide Catholica defecerunt: ſub qua quidem non illos tantum agere, certum eſt, quos diximus ſanctiſſimos anachoretas, ſed pios omnes hæreſum aduerſarios, eandem in hanc diem fidem Catholicam profitentes, quam Athanaſius, Antonius, ipſorumq; alumni magna conſtantia ſectabantur, eamque à maioribus acceptam, ad poſteros propagatam, atque ab ipſo virtutum Domino tot ſignis euidentiorib. confirmatam retinentes, quamque ipſa præſens quoque Eccleſia retinet, atque docet, firme cuſtodientes.

XCI. VALENT. IMP. EDICTVM.
a Socr. li. 4. c. 17. 19.

Sed quod ad eandem perſecutionem ſpectat, Socrates *a* addit acceſſiſſe ad ſæuitiam Præſidum Valentis Imperatoris iuſſionem: *Nam, inquit, ex edicto Imperatoris mandatum eſt, vt omnes, qui fidem Conſubſtantialis tenebant, non Alexandria ſolum, ſed ex vniuerſa etiam Aegypto penitus expellerentur. Quin etiam Præfecto imperatum, vt cum ingentibus copiis omnes vbique perſequeretur, quos Lucius indicaret.* hæc ipſe: eademque à Ruffino ſunt recitata. Itemque Sozomenus *b*, necnon Theodoretus *c* fideles teſtes ſunt miraculorum in confutationem hæreticæ impietatis tūc editorum. Sed & quod ſilentio Ruffinus præterit memoria tunc officium exhibitum à Melania nobiliſſima Romana fœmina, his ex Paulino iungamus: ſcribens enim ad Seuerum inter alia digna præconia Chriſtianæ fœminæ Conſularis hæc habet *d*:

b Soz. lib. 6. c. 21.
c Theod. li. 4. c. 19.
d Paulin. ep. 10.

XCII. MELANIA OCCVLTAT ET PASCIT MONACHOS.

*Tempore illo Valentis, quando Eccleſiam Dei viui furor Arianorum, Rege ipſo impietatis ſatellite, perſequebatur, hæc erat princeps & particeps cunctis pro fide inſtantibus: hæc fugatos recipiebat, aut apprehenſos comitabatur. Sed cum eos recepiſſet in latebram, qui propter inſignem fidem & maiore hæreticorum odio infeſtabantur, & occultantium tangebantur inuidia: graui tunc ſeditione diabolicis facibus inflammata, quaſi contra legem publicam contumax, protrahi ac pati iuſſa eſt quæ illos manebant, niſi prodere maluiſſet. Proceſſit impauide, cupida paſſionis, & iniuria publicationis exultans, quamuis non expectaſſet trahi, tracturos antevolans ad Iudicem: qui confuſus veneratione præſentis, non executus eſt infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. Eadem tempeſtate per triduum quinque millia monachorum latentium ſuis panibus pauit: vt per eius manum iterum Dominus e Ieſus priſtinum numerum in deſerto paſceret, tanto quidem nunc impenſiore clementia, quanto minori licentia fouebantur occulti, quam illi quondam, qui ad Dominum voluntarie in libertate & pace conuenerant. Sed hæc nec timida deprehendi, interdictum ſecura præbebat officium: nec volens gloria operationis agnoſci, tamen operis magnitudine prodebatur, totidem apud homines teſtimoniis glorioſa, quot paſtis, Deo conſcia.* hæc Paulinus, mirifica prædicatione tam egregia facta celebrans: quæ ſanè geſta eſſe in Ægypto, non autem in Palæſtina, illud perſuadet, quod nullibi tam ingens numerus monachorum ſimul collectorum niſi in Ægypto fuerit reperiri, manſiſſe quidem ipſam Melaniam in Ægypto menſibus octo, Palladius *f* docet. Porro ab his diuerſa eſſe noſcuntur, quæ de eiuſdem Melaniæ officiis, quibus proſecuta eſt in Palæſtina relegatos confeſſores, idem Palladius tradit, quæ paulo poſt narraturi ſumus.

e Matt. 14. Marc. 16. Luc. 9
MELANIÆ CONSTANTIA.
f Palla. in Lauſiac. c. 31.

XCIII. Vt autem tam ingenti opere, in occultandis atque paſcendis monachis quinque millibus in deſerto, veluti contumeliis prouocatus Præfectus, libens eius reſponſionibus ceſſerit; ſumma fœminæ claritudo, quæ apud hoſtes quoque reuerentiam ſibi cōciliabat, in cauſa fuit. Erat quidem Melaniæ nomen (vt dictum eſt) non Romæ tantum, ſed vbiq; locorum Romani Imperii cognitum, atque honore habitum tum nobilitate generis, tum egregiæ pietatis præſtantia: de qua hæc idem qui ſupra Paulinus *g*: *Mulier celſiore gradu ad humilitatis cultum ob amorē Chriſti deiecta ſublimiter, vt viros deſides in infirmo ſexu fortis argueret, arrogantes in ſexu vtroque perſonas paupertata diues, & nobilis humiliata confunderet. Igitur Marcellino Conſule auo, de ambitu generis & opum luxu in teneris adhuc annis nuptias paſſa, & breui mater, ſed infelicitate mortalium non longum potita eſt, ne diu terrena diligeret. Nam præter alias orbitates, quas irrito in fœtibus abortiuis labore, adhuc marito participe defleuit: ita creuit ærumnis, vt duos filios & maritum intra anni tempus amitteret, vnico tantum ſibi paruulo ad memoriam potius, quam ad compenſationem affectuum derelicto.* hæc & alia de ipſa Paulinus: ſed quod eam dicat habuiſſe Marcellinum auum Conſulem, Hieronymus *h* filiam eius appellat: at Ruffinus *i* Paulino conſentit, qui etiam eam neptem Marcellini Conſulis nominat: Palladius vero res ab ea geſtas conſcribens, cum Hieronymo Marcellini filiam vocat. geſſiſſe reperitur Conſulatum ordinarium Marcellinus cum collega Probino anno Domini trecenteſimo quadrageſimoprimo, vt legitimi Faſti Conſulares indicant. Porro Melaniæ filio hoc tempore Præturam Vrbanā fungenti iunctam fuiſſe conſtat in matrimonium Albinani *k*; Melania vero iunior eius neptis Piniano in matrimonium tradita fuit: ſed de his inferius. Laudat S. Hieronymus fœminæ ſummam conſtantiam, quod ſimul ſiccis oculis ſepeliſſet virum ſuum ac duos *l* filios; vno vero ſuperſtite derelicto, peregrinata fuerit in Ægyptum primo, inde Hieroſolymam: ibique ad quinque luſtra eſſe commoratam, Paulinus tradit *m*, amplius vero annos duos, nempe vigintiſeptem, Palladius *n* affirmat.

g Paulin. ep. 10.
MELANIÆ GENVS.
h Hiero. in Chron.
i Ruffin. l. inuect. in Hieron.
k Pallad. c. 33.
l Hieron. ep. 25.
m Paulin. ad Seuer. ep. 10.
n Palla. in Lauſ. c. 33.

Porro Melaniæ in Ægypto commoratio magnū plane cum ipſi, tum Ruffino attulit detrimentum: ſiquidem cum Didymo Alexandrino magni nominis viro, & ob eximiam coniunctam cum oculorum cæcitate peritiam plane cunctis admirabili, intimam conſuetudinem habentes, propinante illo ipſis ſitientibus, quem mirifice prædicabat, Origenem ſuum, hauſerunt iſti vna cum dulci potu venenum.

XCIV. Huius autem vt hic repetamus exordia, anno hic quinto ætatis ſuæ (vt auctor eſt S. Hieron. *o*) oculos perdidit, ſed tamen lectore adhibito tanta didicit, vt admirationi omnibus eſſet, ac plane miraculo, quod geometricas aſſecutus fuerit facultates, quæ vt addiſci poſſint, maxime viſu indigent: teſtatur id quidem Hieronymus de eo *p*. De cuius vitæ inſtituto hæc quoq; Ruffinus *q*: *Indeſinenter Dominus deprecabatur, non vt oculorum carnalium viſum, ſed vt illuminationem cordis acciperet: miſcebat autem precibus ſtudia & laborem, & iuges continuasq; vigilias non ad legendum, ſed ad audiendum adhibebat, vt quod aliis viſus, hoc illi conferret auditus. Cum vero poſt lucubrationis laborem ſomnus, vt fieri ſolet, legentibus adueniſſet: Didymus ſilentium illud non ad quietem vel otium datum docens, tanquam mundum animal, ruminans cibum quem ceperat, ex integro reuocabat; & ea, quæ dudum percurrentibus aliis ex librorum lectione cognouerat, memoria & animo retexebat, vt non tam audiſſe quæ lecta fuerant, quam deſcripſiſſe mentis ſuæ paginis videretur. Ita in breui, Deo docente, in tantam diuinarum humanarumq; literarum eruditionem ac ſcientiam venit, vt ſcholæ Eccleſiaſticæ doctor exiſteret, Athanaſio Epiſcopo, cæterisq; ſapientib. in Eccleſia viris Dei admodum probatus, ſed & in cæteris ſiue Dialecticæ, ſiue Geometriæ, Aſtronomiæque, vel Arithmeticæ diſciplinis ita eſſet paratus, vt nullus vnquam Philoſophorum aliqua ex his artibus proponens, obtinere eum, vel concludere quiuerit, ſed ſtatim vt reſponſiones eius acciperet, magiſtrum eum etiam illius, de qua propoſuiſſet, crederet diſciplinæ. Huius aliquanti dicta vel communiter diſputata, vel proponentibus reſponſa, adhibitis notariis, deſcripſere, quæ & nunc in magna admiratione habentur. Nos autem, qui viuæ vocis eius ex parte aliqua ſuimus auditores, & ea, quæ à nonnullis, dicente eo, deſcripta legimus: longe maiorem gratiam, & diuinum neſcio quid ac ſupra humanam vocem ſonans, in illis magis ſermonibus, qui de ore ipſius proferebantur, agnouimus.* hæc Ruffinus de eo: res vero geſtas cum Antonio ſuperius diximus, eadem quoque Theodoretus *r*, atq; Sozomenus *ſ*. Quantum eum coluerit S. Hieronymus, dicemus ſuo loco.

o Hier. in Chron. hoc anno 9. Valent.
p Hieron. de Scrip. eccl. in Didym.
q Ruffin. li. 2. c. 7.
DE DIDYMO ALEXANDRINO.
r Theod. li. 4. c. 17.
ſ Soz. l. 7. c. 14.

XCV. Sed illud plane lugendum, vt Didymus, qui ex cæco factus ſit ſcientia videns, eadem ex vidēte cæcus euaſerit: quippe qui ſui Origenis amore captus, ita erga eum affectus eſt, vt quæcunq; ille ſcripſerat, velut à cœlo lapſa acceperit, magnoq; Eccleſiæ detrimento aliis communicauerit; nec id quidem palam vel omnib⁹, ſed furtim in aures curioſorum audientium inſtillaret, quos facile omnis agitaret doctrinæ ventus. Talibus ab ipſo compertis (proh dolor) Melania atque Ruffino, ſic eorum animis Periarchon Origenis infudit, vt eo tāquam magno theſauro di-

tati cuperent totum Catholicum orbem locupletari: ſed plane aſpidis oua fouerunt; quibus ruptis, prodiere ſerpentes, quorum lethali veneno quam plurimi miſere periere. At de his inferius ſuis locis pluribus agendum erit: hæc modo ſatis in his, quæ ſpectant ad Melaniæ & Ruffini conſuetudinem cum Didymo in Ægypto hoc tempore, quo illuc ſunt peregrinati. Mentio eſt apud Socratē *a* de alio Didymo monacho ſene ſolitarie agente, ab hoc, de quo igitur, longe diuerſo.

a Socr. l. 4. c. 19.

XCVI. His de Didymo Alexandrino narratis, iam Melaniæ veſtigia aſſectemur: Quæ hoc eodem anno, quo ex Petri Alexandrini literis vidimus Ægypti Epiſcopos & monachos relegatos eſſe Diocæſaream oppidum in Palæſtina ſitum, illis miniſtratura, magno fidei ardore ſuccēſa, Hieroſolymam profecta eſt. Quid vero ipſa ibi egerit; Palladius docet his verbis *b*: *Poſt hæc autem, cum Alexandriæ Præfectus Auguſtalis Iſidorum, Pithymum*, Adelphium, Paphnutium, Pambonem, inter quos etiam ſenem Ammonium vnam habentem auriculam, & duodecim Epiſcopos, presbyterosq́; & alios quoſdam vſque ad centum duodecim numero circa Palæſtinæ Diocæſaream damnaſſet exilio: iſtos hæc beatiſſima omnes ſecuta eſt, & propriis facultatibus eis miniſterium ſuum præbuit. Cumq́; ab illis, qui in memoratorum cuſtodia erant, prohiberetur hæc facere (ſicut mihi & ipſi ſæpe referebant; nam & ego S. Pithymum & Iſidorum & Paphnutium vidi.) benedicta tunc illa, ſumpta veſte ſeruili circa veſpertinas horas, omnia eis vitæ neceſſaria afferebat.*

b Pallad. in Lauſiac. c. 117.
* Euthymium.

MELANIÆ PROFECTIO IN PALÆSTINAM.

XCVII. PRÆFECTVS PALÆSTINÆ QVID IN MELANIĀ.

*Quo cognito, Palæſtinæ prouinciæ Conſularis, credens, quod ſinus ſuos poſſet ſumo quodam atq; terrore ex pecunia eius implere: iuſſit eam (ignota enim ipſi erat) corripi, & in carcerem trudi. Ex quo loco tunc ei per internuncios quoſdam ſancta illa mandauit: Ego, inquit, illius filia, & illius coniux fui, ancilla vero nunc Chriſti ſum: ne ergo me ob vilitatem præſentis habitus contemnendam putaueris; quia facile extollere, ſi velim, me poſſum: nec terrere igitur me in aliquo vales, neque quicquam mihi de rebus meis auferre. Atque ideo ne fortaſſis ignorans periculum aliquod aut crimen incurras: idcirco iſta tibi mandaui, quaſi quæ diceret, interdum enim neceſſe eſt aduerſus imprudentes hæc agi, & veluti accipitre vel cane contra eos arrogantia vti, quæ congruo tempore ſuperbos comprehenſura imitatur. Talibus ergo verbis mox ipſe territus Iudex excuſauit eidem factum ſuum; & ita eam, vt meruerat, honorauit; & iuſſit, vt ad illos viros quoties vellet, accederet.* hactenus de illius miniſterio exhibito confeſſoribus.

XCVIII. QVÆ EGERIT MELANIA HIEROSOLYMIS.

De commemoratione vero eius Hieroſolymis ſic mox ſubdit: *Hæc autem, reuocatis ab exilio memoratis viris, monaſteriū apud Hieroſolymam ſibi fecit, in quo viginti & ſeptem annorū tempus impleuit, quinquaginta ſecum ſorores virgines habens. Erat etiam cum ea Ruffinus quidam nomine, Italus, ciuis, ex Aquileienſi oppido, vir nobiliſſimus & in propoſito ſingulari ſatis fortium morum, qui ad presbyteratum poſtea meruit peruenire: quo nullus manſuetior, fortior, & placidior, tanquam omnia ſciens, in ſexu virili potuit inueniri.* hæc quidem de Ruffino Palladius, de Origenis ſectatore Origeniſta, Hieronymus eam ob cauſam perinſenſus: vt non mireris, ſi qui Ruffinum immenſis laudib. ornat, Hieronymum eodem in commentario contumeliis laceret. Sed de Palladio ſuo loco plura inferius; qui de inſtituto Melaniæ atque Ruffini toto illo temporis ſpatio, quo vixerunt Hieroſolymis, iſta ſubdit:

XCIX. OPERA MELANIÆ ATQVE RVFFINI.

*Iſti igitur in viginti & ſeptem annis omnes apud Hieroſolymam ſanctos, atque peregrinos Epiſcopos & monachos, virgineſque (hoc enim vouerant Deo) ſuſcipere propriis ſumptibus ac fouere conſueuerunt, omneſq́; ad ſe venientes meliores tantarum ac talium rerum contemplatione fecerunt. Illos enim quadringentos numero monachos, qui propter Paulinum,* Antiochenum Epiſcopum ſcilicet, *ſe ab Eccleſia ſeparabant, ſanctæ rurſus Eccleſiæ reddiderunt. Omnes etiam præter hos peruerſæ ſectæ homines, & contra Spiritum ſanctum ſacrilego ore certantes, ad Eccleſiam noſtram, vera ſuadendo, ac iugiter cunctos docendo, reuocauerunt, honorantes quidem ac ſæpe paſcentes eiuſdem loci clericos: & hæc pariter facientes, vitam ſuam pro ſtudio finierunt, nulli quidem ex ſe vel leuem dantes ſcandali ſuſpicionem, totum vero orbem terrarum ſpirituali ædificatione pleniſſimum relinquentes.* hactenus Palladius. Sed iam his de peregrinatione Melaniæ recenſitis, ad cladem Alexandrinæ Eccleſiæ proſequendam reuocemus iamdiu intermiſſam orationem.

C. S. BASILII LITERÆ AD ALEXANDRINOS.

Cum autem tantæ cladis Eccleſiæ Alexandrinæ ita atræ fama præ ſui immanitate toto Chriſtiano orbe diffuſa eſſet; ſanctus Baſilius Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, ea accepta, eiuſmodi ad Alexandrinos conſolatorias literas dedit *c*:

c Baſ. ep. 71.

*De perſecutionibus apud Alexandriam & reliquam Ægyptum iamdudum ad nos fama peruenit; animoſque noſtros, vt par erat, affecit. Expendimus enim aſtutiam belli diabolici: quo modo is vbi Eccleſiam ex perſecutione ab inimicis illata multiplicari, magiſque florere vidit, inſidias ſuas mutauerit: vt iam non ex aperto oppugnet, ſed occultas inſidias ſtruat, conſiliū ſuum per nomen Chriſtianum, quod hæretici prætexunt, obtegens: vt & eadem cum patribus noſtris patiamur, & tamen haud videamur pro Chriſto pati, propterea quod & ipſi perſecutores noſtri Chriſtianorum nomine cenſentur. Iſta conſiderantes plurimum temporis ex iis, quæ apud vos geſta nunciata fuerant, animos noſtros ſtupore repleuerunt & perculerunt. Re vera namq́; inſonuerunt vtraq; noſtra aures, vbi cognouimus impudentem & humano generi inimicam hæreſim eorum, qui vos perſecuti ſunt: quomodo nec aliquam reueriti ſunt ætatem, nec moleſtias caniciei, nec plebis dilectionem, ſed corpora verberarunt & dehoneſtarunt, inque exilia eiecerunt, ac bona diripuerunt, quæcunq; accipere potuerunt, neque humanam veriti condemnationem, neque terribilem iuſti Iudicis retributionem prauidentes. iſta nos ſtupefecerunt, & ipſo prope ſenſu deſtituerunt.*

CI. EX DIRA PERSECVTIONE QVID IN MENTEM BASILII VENERIT.

*Acceſsit autem ad hæſce animi mei diſceptationes & iſta cogitatio: An Eccleſias ſuas prorſus reliquit Dominus? An nouiſſima hora eſt, & hoc pacto initium ſumit defectio, vt iam deinceps reueletur iniquus ille filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſuper id omne, quod dicitur Deus, aut numen? Attamen ſiue temporaria eſt iſta tentatio, ferte eam vt boni Chriſti athletæ: ſiue omnimodo res noſtræ traditæ ſunt corruptioni; ne ſocordes ſimus ad ea, quæ accidunt, ſed reuelationem e cœlis & apparitionem magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti expectemus. Si namq́; vniuerſa creatura ſoluetur, & tranſmutabitur figura huius mundi, quid fuerit inſolentiæ, ſi & nos, qui creaturæ portio quædam ſumus, communes afflictiones tulerimus, tribulationibuſq; traditi fuerimus, quas pro menſura potentiæ ſuæ ſuper nos iuſtus inducit Iudex; qui nos tentari non ſinet ſupra quam ferre poterimus, ſed & cum tentatione exitum dabit, vt ferre poſsimus?*

CII. BASILII EXHORTATIO AD ALEXANDRINOS.

*Expectant vos, fratres, Martyrum coronæ: parati ſunt confeſſorum chori, vt manus vobis porrigant, atque in numerum ſuum vos recipiant. Memores eſtote veterum ſanctorum, quam nemo ſit illorum deliciis & aſſentationibus patientiæ coronis dignus effectus, ſed omnes per magnas tribulationes ingreſsi, experimentum ſui dederint. Alij enim illuſionibus & flagellis probati ſunt, alij tentati ſunt, ſecti ſunt, occiſione gladij mortui ſunt. Hæc ſunt, vnde decorantur ſancti. Beatus eſt, qui dignus habetur, vt pro Chriſto patiatur: beatior is eſt, qui abundantiores afflictiones tulit: afflictiones enim huius temporis non ſunt condignæ ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quod ſi ipſe ad vos venire potuiſſem, congreſſu veſtro nihil fuiſſet carius, vt & athletas Chriſti viderem & complecterer, & precum donorumque ſpiritualium, quæ vobis data ſunt, conſortio potirer. Quoniam vero corpus habeo diuturno morbo confectum, ita vt ne lecto quidem deſcendere queam: & multi ſunt, qui inſtar luporum rapacium nobis inſidiantur, occaſionem venantes, an aliquo pacto oniculas Chriſti aliquando rapere poſſint: neceſſario per literas inuiſere vos inſtitui, obſecrans cum primis quidem, vt continue pro nobis precemini, quo reliquos dies aut etiam horas Domino ſecundum Euangelium regni ſeruire merear: deinde vero, vt & imperitiæ meæ & literarum tarditati ignoſcatis. Nam ægre nobis eius hominis copia facta eſt, qui deſiderio noſtro ſeruire queat: dico autem de Eugenio monacho filio noſtro, per quem vos obſecro, vt pro nobis & vniuerſa Eccleſia oretis, deque rebus veſtris reſcribatis, vt cognitis illis alacriores reddamur.* hactenus Baſilius ad Alexandrinos.

CIII. IMP. ROM. APOSTASIA, ET SARACENORVM REGINÆ CONFESSIO.

At quid interea magna admiratione dignum accidit? Dum negat Romanus Imperator fidem Catholicam, & confitentes illam ignominiis afficit, direque perſequitur: profitetur eam ac prædicat Regina Saracenorum; quoſque ille ſpernit, hæc honorat; ille fugat, hæc reuocat: pellit ille Epiſcopos, pulſos ipſa petit: atque adeo vbi crudelis & ignominioſa Alexandriæ viguit perſecutio, Catholicus ibi Dei nutu honore habetur Epiſcopus, atque magno exemplo fides Catholica prædicatur, & Arianus ipſe

reſpiratur Antiſtes. Sed quonam modo tantum prodigiũ factum ſit, aggredimur enarrare. Iecerat iam ante fundamenta fidei apud Sarracenos S. Hilarion Abbas, qui (vt teſtatur S. Hieronymus *a*) multos Sarracenorum arreptos à dæmone frequenter liberauit, cultuique Veneris addictæ gentis illius ſacerdotem conuertit ad fidem: qui quidẽ nec ipſum Hilarionem abire paſſi ſunt ante, quã futuræ Eccleſiæ lineam mitteret. Qui ergo adeo magna ab Hilarione ſunt conſecuti, eo defuncto, illi patem quæſierũt dari ſibi hominem Epiſcopum Orthodoxum. At quo modo res ſe habuerit, Ruffinum audiamus auctorem: *Dũ*, inquit *b*, *Lucius omni arrogantia atque ſæuitia ageret, Mauuia Sarracenorum Regina vehementi bello Paleſtini & Arabici limitis oppida atque vrbes quatere, vicinaq; ſimul vaſtare prouincias cœpit. cumq; frequentibus bellis Romanum attriuiſſet exercitum, & plurimis perempti reliquos vertiſſet in fugam: orata pacem non aliter ſe amplexuram permittit, niſi Moyſes quidam nomine, monachus, gentis ſuæ ordinaretur Epiſcopus, qui in eremo partibus ſuis propinqua vitam ſolitariam ducens, merito & virtutibus, ac ſignis, quæ faciebat Deus per illum, magnifice innotuerat.*

a Hieron. in vita S. Hilarionis.

b Ruffin. l. 2. c. 6.

CIV.
MOYSES ELECTVS LVCIVM ARIANVM REIICIT.

*Petitio eius Principi indicata Romano, ſine vlla dilatione iubetur impleri a ducibus noſtris, qui ibi infeliciter pugnauerant. Captus Moyſes ad ſacerdotium ſuſcipiendum Alexandriam ex more deducitur. Adeſt Lucius, cui ordinandi ſerebatur officium. Quo viſo, Moyſes præſentibus ducibus, qui perurgebant, & populis ait: Ego quidem me non eſſe dignum tanto ſacerdotio iudico: verumtamen ſi aliqua in me licet indigno diuina diſpenſatio putatur explenda: Deum noſtrum cœli ac terræ dominum teſtor, quod Lucius ſanctorum ſanguine pollutas & cruentas ſuper me non iniiciet manus. Cumque Lucius tam graui nota inuſtum ſe videret in oculis plurimorum: Quare, inquit, ô Moyſes, tam facile condemnas eum, cuius fidem ignoras? Aut ſi tibi aliquis de me aliter indicauit: audi fidem meam, & tibi ipſi magis, quam aliis crede. Tum ille: Deſine, inquit, ô Luci, doloſis tuis me quoque imaginibus aggredi: Bene mihi nota eſt fides tua, quam proteſtantur ſerui Dei per metalla damnati, Epiſcopi in exilium truſi, presbyteri & diaconi extra Chriſtiani nominis habitaculã relegati, beſtiis alii, alii etiam ignibus traditi. Numquid poteſt verior eſſe fides, quæ auribus capitur, quam quæ oculis peruidetur? Apud me certum eſt, quod qui Chriſto recte credunt, iſta non faciunt. Et ita Lucius maiore dedecore deformatus (quoniam perurgebat neceſſitas Reipublicæ conſulendi) compulſus eſt acquieſcere, vt ab Epiſcopis, quos in exilium truſerat, ſacerdotium ſumeret. Quo ſuſcepto, & gentis ferociſſimæ pacem tenuit, & fidei Catholicæ cuſtodiuit illibata conſortia.* hucuſque Ruffinus: eadem etiam Socrates *c*, Sozomenus *d*, atque Theodoretus *e*. Pacis quoque fœdera ſtricta fuiſſe vinculo nuptiarum, dum huius Reginæ filia deſponſata fuit Victori exercitus duci, Socrates auctor eſt. Meminit huius Victoris Ammianus *f*, fuiſſeq; tradit Magiſtrum equitum, ſed & Præfecturæ Orientalis magiſtratum geſſiſſe.

c Socr. li. 4. c. 29.
d Soz. li. 6. c. 38.
e Theod. li. 4. c. 2.
f Ammian. lib. 26. & lib. 30.

CV.

De Moyſe autem Epiſcopo Sarracenorum creato, quid apud eos egerit, Theodoretus *g* & Sozomenus paucis tractant. Theodoretus igitur hæc habet: *Poſtremo Moyſes, vbi cum fide admirabili gratiam Epiſcopalem receperat, ad illos, qui eum requirebant, profectus eſt, & partim doctrina Apoſtolica, partim miraculis eos ad veritatem traduxit.* hęc ipſe: eadem ferme Sozomenus *h*, qui & hæc admiranda addit: *Fertur etiam, id temporis gentem quandam vniuerſam ad religionem Chriſtianam traductam, Zocomo eius principe, & rectore tali de cauſa baptizato. Iſte cum ſobolis omnino expers eſſet, ad monachum fama illius adductus venit, vt cum eo colloqueretur: apud quẽ de ſua calamitate grauiter conqueri cœpit: ſiquidem tum Sarracenis tum omnibus aliis, credo, barbaris, liberos procreare, permagni æſtimari ſolet. Monachus autem iubet eum bono animo eſſe, & precibus Deo adhibitis, eum dimittit, pollicitus pro certo, eum filium habiturum, ſi modo in Chriſtum crederet. Vbi vero Deus promiſſa re ipſa præſtiterat, & filius Zocomo natus erat: ipſe Baptiſmi miniſterio initiatus eſt, ſuoſque ſubiectos ad idem ipſum induxit.* Sed de Sarracenis idem ait, quod haud diu ante Valentis Imperium, per monachos iuxta ipſos degentes didicerant Chriſtianam pietatem; cum poſtea (vt dictum eſt) aucto fidelium numero, Moyſen ſibi dari Epiſcopum poſtularunt, qui Lucii impietatem publica eſt deteſtatus confeſſione.

g Theod. li. 2. c. 22.

h Soz. lib. 6. c. 38.
FIDEI PROPAGATIO APVD BARBAROS.

Hæc autem de Sarracenis occaſione perſecutionis ſub Lucio factæ Alexandriæ & in vniuerſa Ægypto ſunt recenſita: quam quidem ſicut exortam ſcimus hoc anno poſt obitum Athanaſii, nequaquam tamen hoc eodem anno ceſſauit, ſed vſque ad vltimum ferme Valentis annum perdurauit: quod vero haud licuit diſtinguere, quid quoto eius anno factum ſit, hic in vnum cuncta, quæ ex antiquioribus monumentis de his reperimus, ſub hoc ipſo anno iure deſcripſimus. Quibus addimus, horũ martyrum perſeuerare ingem memoriam in chartis Eccleſiaſticis deſcriptam, publiceque recoli in Eccleſiis tertio Idus Maii *i*.

CVI.

i Martyrol. Rom. 13. Maij.

At quo modo alia quoque via Valens Imperator aggreſſus ſit perſequi monachos, cogendo eos adſcribi militiæ, inferius ſuo tempore dicturi ſumus. Quod autem ad Petrum Epiſcopum Alexandrinum ſpectat, de eius quoque Romam aduentu meminit ſanctus Hieronymus *k*: quem manſiſſe apud Damaſum conſtat, quamdiu eiuſmodi perſecutio perdurauit: ea vero quieſcente, teſtatur Socrates *l*, Alexandriam rediiſſe munitum eiuſdem Damaſi literis, quibus cum fides Catholica, tum etiam eiuſdem Petri ordinatio probaretur. ſed de his ſuo loco agendum.

k Hiero. ep. 16.
l Socr. li. 4. c. 30.

CVII.
S. HILARIONIS OBITVS.

Hoc ipſo anno ſanctus Hilarion præſtantiſſimus monachorum, poſt innumera miracula edita, clariſſimus ſanctitate ex hac vita migrauit anno ætatis ſuæ (vt teſtatur ſanctus Hieronymus) octogeſimo: ex cuius etiam teſtificatione colligitur, eundem hoc ipſo anno ex hac vita diſceſſiſſe: ſiquidem ipſum tempore obitus Antonii Magni, qui contigit anno vigeſimo primo Conſtantii Imperatoris (hic eſt annus Domini trecenteſimus quinquageſimus ſeptimus*) egiſſe annum ætatis ſexageſimũ quintum tradit: quibus ſi addas annos quindecim, vt peruenias ad octogeſimum, quo obiit, vtique deduces annos ætatis eius vſque ad præſentem trecenteſimum ſeptuageſimum ſecundum. Scripſiſſe de laudibus Hilarionis epiſtolam ſanctum Epiphanium, idem teſtatur Hieronymus, cuius occaſione ſe vitam eius literis commendaſſe tradit, cum *m* ait: *Quanquam enim ſanctus Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, qui cum Hilarione plurimum verſatus eſt, laudem eius breui epiſtola ſcripſerit, quæ vulgo legitur: tamen aliud eſt locis communibus laudare defunctum, aliud defuncti proprias narrare virtutes: vnde & nos fauore magis illius, quam iniuria, cœptum ab eo opus aggredientes, maledicorum voces contemnimus.* hæc ipſe.

* octauus

m Hier. in vita S. Hilarionis.

CVIII.
EPIPHANII PRIMORDIA.

Sed quod de Epiphanii cum Hilarione conſuetudine ex Hieronymo mentio facta eſt; dignum videtur, vt eiuſdem Epiphanii his primordia coniungamus, ac explodamus ea ipſius Acta, quæ complaribus conferta reperiuntur eſſe mendaciis: cum enim rebus ab eo geſtis qui poſtea ſequuntur anni intexti ſint, haud æquum eſt ipſius ignoraſſe principia. Quod primum ad Epiphanii ætatem ſpectat, vt eius natalis temporis aliqua ratio haberi poſſit: ſanctus Hieronymus de eo agens in commentario de viris illuſtribus, ipſum ad extremam ſenectutem iam perueniſſe tradit *n*: optime namque eum nouerat, cui & magno erat conſuetudinis & amicitiæ viu coniunctus. Porro quando hæc de Epiphanio ipſe ſcribebat, erat annus (vt ipſe teſtatur *o*) Theodoſii Imperatoris decimus quartus, Chriſti vero trecenteſimus nonageſimus ſecundus. Qui igitur eo anno ad vltimam peruenerat ſenectutem, poſſumus æque opinari hoc tempore ipſum non minorem ſexaginta annorum fuiſſe; & quidem tantæ æſtimationis Epiſcopum, vt (quod dictum eſt ſuperius) Valens Imperator perſecutor eum vexare timuerit. De eius patrio ſolo & exercitatione monaſtica ab adoleſcentia, hæc Sozomenus habet *p*, cum monachos Palæſtinos recenſet:

n Hiero. de Scrip. eccl. in Epiphan.
o Idem ibidem in fin.

*Ex eorum numero fuere Heſychius Hilarionis ſodalis, & Epiphanius, qui poſtea Salamina, quæ eſt vrbs Cypri, fuit Epiſcopus. At Heſychius eo ipſo in loco, in quo magiſter eius vitam egit monaſticam: Epiphanius autem circiter Beſanducem pagum in tractu Eleutheropolitano ſitum, vnde etiam ortus fuerat, in eodem vitæ genere colendo ſe collocauit: qui ab ineunte ætate à monachis præſtantiſſimis inſtitutus, & in Aegypto longiſſimo tempore eadem de cauſa ver-*

p Soz. lib. 6. c. 32.

*ſatus*

*ſatus in diſciplina monaſtica, cum apud Ægyptios, tum apud Palæſtinos illuſtriſsimus habitus eſt.* hucuſque Sozomenus.

CIX. Quidnam vero Epiphanio periculoſum, cum eſſet in Ægypto, contigerit, adeo vt parum abfuerit, quin ſeduceretur à Gnoſticis: ipſe narrat *a*, cum de iiſdem turpiſſimis Gnoſticis agit, his verbis: *In hanc hereſim, ô chariſsimi, etiam ipſe incidi, & ex ore eorum, qui hanc tractant, hæc in propria perſona audiui. Mulieres autem ſic deceptæ, non ſolum de his verba apud nos fecerunt, & talia nobis reuelarunt, ſed etiam in Aegyptia illa pernicioſa ac flagitioſa Archimagiri terra, eadem effreni audacia nos attrahere in iuuentute noſtra, laſciuia concitæ aggreſſæ ſunt.*

a Epiphan. hæreſ. 26.

EPIPHAN. TENTATVS A GNOSTICIS.

*Verum qui tunc aſtitit ſancto Ioſeph, etiam nobis aſſuit; & eum, qui illum liberauit, nos indigni & inſufficientes inuocantes, miſericordiam conſecuti ſumus, & pernicioſas ipſarum manus effugimus: ac Deo ſanctiſsimo hymno decantato, etiam ipſi dicere potuimus: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare. Non enim ſimili iuſtitiæ illius virtute, ſed ſuſpiriis ad Deum miſericordiam conſecuti, ſeruati ſumus. Imperabant enim mihi pernicioſæ illæ mulierculæ, & deridebant me, velut indicabant ipſæ ſibi ipſis mutuo illudentes, nimirum: Non potuimus, inquiebant, ſeruare adoleſcentem, & demiſimus ipſum in manibus Principis perire.* hæc illæ impudentes, quod ex præſcripto nefandi dogmatis, perire dicerentur, qui continentem vitam agerent. & paulo poſt: *At miſericors Deus ab improbitate ipſarum nos liberauit; vt etiam poſt lectos à nobis ipſorum Gnoſticorum libros, & vere cognitam eorum opinionem, neque abductus ſim, & effugerim, ac tunc non ineſcatus fuerim, ſed ſtudium adhibuerim, vt etiam Epiſcopis illius loci eos oſtenderem, & nomina in Eccleſia latentia deprehenderem, quo iiſdem ciuitate exigerentur (erant autem nomina circiter octuaginta) & ciuitas à zizaniis ac ſpinis eorum purgaretur.* hucuſque Epiphanius, qui iterum inferius ſe ab omni eorum ſorde impollutum cunctas ipſorum luſtraſſe fæces affirmat: Iſta quidem adoleſcens, ſed ſubſit Sozomenus:

CX. *Poſtea quoque apud Cyprios non minore gloria fuit: apud quos electus eſt primariæ vrbis totius inſulæ Epiſcopus. Vnde, credo, in vniuerſo prope dixerim orbe terrarum eſt maximam nominis celebritatem conſecutus. Nam cum in multitudine hominum, & in vrbe ampla, eaque maritima ſacerdotio fungeretur, ob præſtantiam virtutis, quâ etiam negotiis ciuilibus occupatus vſus eſt, breui tum ciuibus, tum peregrinis cuiuſque nationis notus factus eſt: illis quidem, vt qui eum coram vidiſſent, eiuſq; piæ vitæ feciſſent periculum: his autem, vt qui illis idem de eo narrantibus, fidem adiunxiſſent.* hæc Sozomenus. Auctor, qui Epiphanii Acta *b* conſcripſit, Ioannes nomine, qui & ſe eius fuiſſe comitem in Ægypto tradit, de eodem ait, diſputaſſe cum Hierace hæreſiarcha, ipſumque diuino miraculo mutum reddidiſſe teſtatur eidemque pœnitenti vſum linguæ reſtituiſſe. Verum ſcias auctorem eſſe mendacem, multaque finxiſſe: nam quod ad Hieracem ſpectat, necdum natus Epiphanius erat: quando Hierax in Ægypto docebat. Accedat de his teſtis ipſe Epiphanius, qui Hieracem mox poſt Manetem ordine ponit, etiam ante Meletium atque Arium: deque ipſo pluribus agens, nihil penitus de miraculo vel pœnitentia Hieracis habet: hoc quidem minime prætermiſiſſet, quod in primis exigebat argumenti ratio enarrari. At alia complura his monſtruoſiora idem compingit auctor, quæ ſuis locis confutanda erunt. Cæterũ claruiſſe ipſum miraculis, floruiſſeque doctrina cum vitæ admirabili ſanctitate, fama eius vbique diffuſa, ac reuerentia, qua coerciti ſunt infenſiſſimi ipſius hoſtes Ariani & ipſe Valens, certo eſſe poſſunt argumento. Res autem ab eo geſtas, annis ſingulis, adhibita ratione temporum, inferius deſcribemus: iam vero quæ reliqua ſunt anni huius acta recenſeamus.

EPIPHAN. CLARVS TOTI ORBI.

b Apud Metaphr. die 12. Maij Sur. tom. 3.

CXI. Hoc item anno, Valentinianus Imperator Treueris in Galliis agens ad Ampelium Præfectum Prætorio aduerſus Manichæos ita reſcripſit *c*:

MANICHÆI LEGE VETITI.

*Vbicumque Manichæorum conuentus vel turba huiuſmodi reperitur, doctoribus graui cenſione mulctatis, domus & habitacula, in quibus profana inſtitutione docetur, fiſci iuribus indubitanter adſciſcantur. Datum VI. Non. Mart. Treuer. Modeſto & Arintheo Coſſ.* cuius quidem legis ſanctus Ambroſius *d* viſus eſt meminiſſe, cum ait, impietatem Manichæorum Imperatoris auctoritate damnatam. Quænam autem præceſſit occaſio, vt Manichæos iam diu ante etiam Diocletiani lege proſcriptos oportuerit iterum Chriſtiani Principis auctoritate damnari, deque his ſcribere Romam ad Præfectum Prætorio, ſanctus Auguſtinus ſatis manifeſte inſinuare videtur eo Commentario, quo agit de Manichæorum moribus, his verbis *e*: *Quid dicam de moribus veſtris? Dixi quæ ipſe comperi, cum in ea eſſem ciuitate, vbi iſta commiſſa ſunt. Romæ autem, me abſente, quid actum ſit, longum eſt explicare, dicam tamen breui. Eo enim res erupit, vt occulta eſſe non poſſet abſentibus: & ego quidem poſtea Romæ cum eſſem, omnia vera me audiſſe firmaui: quamuis tam familiaris & mihi probatus, qui præſens erat, ad me rem pertulerat, vt omnino dubitare non poſſem. Nam quidã veſter Auditor in illa memorabili abſtinẽtia nihilo Electis cedens, qui & liberaliter inſtitutus eſſet, & veſtram ſectam copioſe vellet & ſoleret defendere, moleſtiſsime ferebat, quod ei vage peſsimeque habitantium paſsimque viuentium Electorum mores perditiſsimi ſæpe diſputanti obiiciebantur. Cupiebat itaque, ſi poſſet, omnes, qui ſecundum illa præcepta vitam degere parati eſſent, congregare in domum ſuam, & ſuis ſumptibus ſuſtinere: erat enim & non mediocris pecuniæ contemptor, & non mediocriter pecunioſus. Querebatur autem impediri tantos conatus ſuos Epiſcoporum diſſolutione, quibus adiuuantibus implere debebat.*

c l. 3. de hæret. C. Th.

d Ambroſ. ep. 81.

e Aug. de Morib. Manich. li. 2. c. vlt.

*Interea autem Epiſcopus quidam, Manichæorum ſcilicet, homo plane, vt ipſe expertus ſum, ruſticanus atque impolitus, ſed neſcio quo modo ea ipſa duritia ſeuerior in cuſtodiendis bonis moribus videbatur. Hunc diutiſsime deſideratum & aliquando præſentem arripit iſte, exponit voluntatem ſuam: laudat ille atque conſentit: placet, vt in domo eius prior ipſe incipiat habitare. Quod vbi factum eſt, eo congregati ſunt Electi omnes, qui Romæ eſſe potuerunt. Propoſita eſt viuendi regula de Manichæi epiſtola. Multis intolerabile viſum eſt: abſceſſerunt, remanſerunt tamen pudore non pauci. Cœpit ita viui, vt placuerat & vt tanta præſcribebat auctoritas: cum interim Auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen ad id, quod non prior ipſe ſuſciperet. Interea rixæ inter Electos oriebantur creberrimæ: obiiciebantur ad inuicem crimina: quæ ille gemens omnia audiebat; dabatque operam, vt ſe ipſos in iurgando incautiſsime proderent. Prodebant nefanda & immania. Ibi cognitum eſt, quales eſſent, qui tamen inter cæteros vim præceptorum illorum ſubeundam ſibi putauerunt eſſe. Iam de cæteris quid ſuſpicandum erat, aut quid potius iudicandum? Quid plura? Coacti aliquando murmurauerunt, ſuſtineri illa mandata non poſſe. Inde in ſeditionem.*

CXII. MANICHÆORVM CONVENT. ROMÆ.

*Agebat Auditor cauſam ſuam complexione breuiſsima; aut illa omnia eſſe ſeruanda; aut illum, qui talia ſub tali conditione præcepiſſet, quæ nullus poſſet implere, ſtultiſsimum exiſtimandum. Vicit tamen (non enim aliter poterat) vnius ſententiam effrenatiſsimus plurium ſtrepitus. Poſtea etiam ipſe ceſſit Epiſcopus, & cum magno dedecore aufugit. Huius ſane cibi præter regulam clanculo accepti & ſæpe inuenti ferebantur, cum ei de proprio ſacculo diligenter occultato pecunia copioſa ſuppeteret. Hæc ſi falſa eſſe dicitis, nimis apertis & peruulgatis rebus obſiſtitis.* hactenus Auguſtinus. Quiſnam autem fuerit Auditor iſte adeo opulentus, vt omnes Manichæos in domum ſuam reciperet ſuis ſumptibus alendos, idem S. Auguſtinus agens contra Fauſtum eiuſdem ſectæ patronum prodit *f* his verbis: *Adhuc in rebus humanis eſt ille Conſtantius, modo iam frater noſter Catholicus Chriſtianus, qui multos veſtrum Romæ in domum ſuam congregauerat propter implenda præcepta Manichæi, ſatis quidem vana & inepta, ſed tamen quæ magna exiſtimatis: quibus cum veſtra infirmitas cederet, diſperſi eſtis quiſque in viam ſuam. Vnde illi, qui in eis perdurare voluerunt, à veſtra ciuitate ſchiſma fecerunt. Et quia in mattis dormiunt, Mattarii appellantur: à quorum ſtratu longe diſsimiles fuerunt plumæ Fauſti & caprinæ lodices; quæ delitiarum affluentia non ſolum Mattarios faſtidiebat, ſed etiam domum patris ſui hominis pauperis Mileuitani. Auferte ergo perditam ſimulationem, &c.* Lege itaque Valentiniani iidem cum innotuiſſent Manichæi, vetiti ſunt conuentus agere. Quod igitur ſimulando ſummam affectarent ſanctitatem; in calumniam ieiunantium Chriſtianorum verſa Romæ res eſt, vt (quod ait ſanctus Hieronymus *g*) quem viderent pallentem atque triſtem, miſerum & Ma-

CXIII. MANICHÆI ROMÆ DETECTI.

f Aug. contra Fauſt. lib. 5. c. 6.

CONSTANTIVS MANICHÆVS CONVERSVS AD FIDEM.

g Hieron. 22.

nichæum vocarent. At quoniam modo qui lege prohibiti ſunt in vnum conuenire, clandeſtinos conuentus poſtea egerint, reſque maxime abominandas perpetrarint, infe-rius dicturi ſumus.

CXIV. Saba Gothi martyrium. Hoc item anno, iiſdemq; Conſulibus, Saba Gothus, perſeuerante perſecutione Athanarici, de qua plura ſu-perius, martyrium conſummauit: extant eius martyrii A-cta & quidem fidelia, in quibus hæc in fine de tempore necis ipſius: *Martyrio coronatus eſt quinta die ſabbati poſt Paſcha, hoc eſt, pridie Idus Aprilis, Valentiniano & Valente Imperatoribus, Conſulatum gerentibus Modeſto, & Arintheo.* hæc ibi: qua pariter die adſcripta reperitur ipſius memoria in Eccleſiaſticis tabulis. meminit eius quoque Suidas.

CXV. Nec prætereundum, quod ſanctus Hieronymus ſub anno octauo abſoluto, nono tamen inchoato Valenti-niani & Valentis Imperatorum (eſt hic ipſe annus) in Chronico ait: *Presbyter Sirmij iniquiſsime occiditur, qui Octa-uianum ex Proconſule apud ſe latitantem prodere noluiſſe.* hæc i-pſe. Perſimile namque huic factum de Firmo Epiſcopo narrat ſanctus Auguſtinus ad Conſentium ita ſcribens a: *Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices. Nec prodam, non mentiar. Fecit hoc quondam Epiſcopus Tagaſtenſis Eccleſiæ, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cum ab eo quæreretur homo iuſſu Imperatoris per apparitores ab eo miſſos, quem ad ſe confugientem diligentia, quanta poterat, occultauerat: reſpondit quærentibus nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere: paſſuſque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Chriſtiani) permanſit in ſententia. Deinde ad Imperatorem ductus, vſque adeo admirabilis apparuit, vt ipſi homini, quem ſeruabat, indulgentiam ſine vlla dif-ficultate impetraret. Quid autem hoc fieri poteſt fortius & conſtan-tius?* hæc ſanctus Auguſtinus: ex quibus videas æquiorem erga Epiſcopum fuiſſe Ethnicum Imperatorem, quam contra presbyterum Valentinianum, ab omnibus crude-litatis nimiæ condemnatum. huius autem Firmi dies na-talis in ſanctorum memoriam deſcriptus habetur pridie Kalend. Auguſti.

a Aug. ad Conſent. de mendac. c. 13.

CXVI. Hoc pariter anno de curanda Conſtantinopolitana bibliotheca Valens ad Clearchum eius Vrbis Præfectum ita reſcripſit b:

*Antiquarios ad bibliothecæ codices componendos, vel pro vetuſta-te reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos ſcribendi peritos legi iubemus, &c. Dat. VIII. Idus Martij, Modeſto & Arintheo Coſs.*

b l. 2. de ſtud. liber. C. Theod.

## IESV CHRISTI
### Annus 373.

DAMASI PAP. Annus 7. VALENTINIANI VALENTIS IM. 10.

I. Concilium Rom. aduerſus Apollinarem. Valentinianus & Valens Auguſti, quarto iterato Con-ſulatu, dedere nomen in Faſtis anno Chriſti trecen-teſimo ſeptuageſimo tertio, quo Romæ celebratum eſt à Damaſo Papa Concilium aduerſus Apollinarem hære-ſiarcham, in quo & aliæ graſſantes in Oriente hæreſes damnatæ ſunt. Quod autem ad tempus ſpectat: cum ex-ciderint plane Synodi Acta, ex quibus id accipere licuiſ-ſet, aliunde ratio conſignati temporis petenda eſt: ad quā inſinuandam, illud in primis meminiſſe oportet, ex tertia legatione Baſilii ad Damaſum miſſa anno ſuperiori, inter alia (vt vidimus) ſignificatum eſſe de hæreſi Apollinaris damnanda, quæ hactenus nulla cohibita lege Eccleſiaſti-ca, libere ab auctore Antiochiæ doceretur: imo quod au-ctor vir pius atq; eruditus exiſtimaretur, ac proinde qua-lis re vera eſſet, ignoraretur; non Baſilium tantum & Gre-gorium Nazianzenum, ſed etiam Damaſum atque Hie-ronymum (vt dictum eſt) ad præſens vſque tempus cum homine ad litterarum conſuetudine ſaltem communi-caſſe certum eſt. hæreſi autem eius curioſius explorata, quam primum Orthodoxi Orientales ſeſe ab eius com-municatione diuiſere, deque ipſo ſanctus Baſilius ad Da-maſum ſcripſit anno ſuperiori: qui acceptis ea de re à ſan-cto Baſilio literis, aduerſus Apollinaris hæreſim Romæ Concilium conuocauit. res enim haud longiori mora re-tardanda erat, ne patientia Damaſi, cum eo communi-cantis mutuæ cum Apollinare ſocietatis ſuſpicionem af-ferret. Rurſum vero quod eadem Apollinaris hæreſis Romæ damnata eſſe dicatur à Damaſo atque Petro Epi-ſcopo Alexandrino Romæ tunc exiſtente: cum eiuſdem Petri Romam aduentum ex perſecutione Arianorū con-citata poſt ingreſſum Lucii Alexandriam, contigiſſe o-porteat prope finem anni ſuperioris: iure in præſentem annum, idem Romanum Concilium referri debet; de quo Sozomenus c: *Hanc quidem Apollinaris hæreſim apud mul-tos ſerpere Damaſus Epiſcopus Romanus, & Petrus Epiſcopus Ale-xandrinus certiores facti, primi omnium, Concilio Romæ conuocato, eandem alienam eſſe ab Eccleſia Catholica pronunciarunt.* hæc i-pſe, atque hactenus quo ad tempus.

c Soz. l. 6. c. 25.

II. Quod autem eius Synodi Acta penitus excidiſſe vide-antur: ex fragmentis hinc inde petitis, quantum fas, reſti-tuamus in integrum. Ac primum illud non ignorandum, Vitalem Antiochiæ agentem patronum hæreſis Apolli-naris, ea de cauſa in crimen vocatum, ad dicendam cau-ſam apud Damaſum Romam ſe contuliſſe, edidiſſeque Catholicæ fidei formulam, ſeque iniuſte hæreſis accuſa-tum exclamaſſe. Cum igitur fidei libello edito, vt Ca-tholicus probatus eſſet, ab eodem Romano Pontifice ſic acceptus eſt, vt eius cauſam Paulino Antiocheno Epiſco-po cognoſcendam delegauerit, libellumque ad eundem Paulinum dederit: cui Vitalis ſubſcripſit: quod poſtquam à Vitale factum eſt, in communionem Catholicam fuit acceptus. Sic igitur Vitalis, Damaſi communionis vir-tute, ab aliis quoque *Orthodoxis in communionem admiſſus eſt, & inter eos à Gregorio Nazianzeno: qui poſtea eius rei cauſam ſi-mulatus, ad Cledonium* d *ſcribens, ſic ſe apud eum excuſat: Ne au-tem nos, inquit, hoc nomine accuſent, quod Vitalis, viri nobis cariſſi-mi fidem, quam ita poſtulante Damaſo Papa Romæ Epiſcopo, literis conſignatam edidit, primi quidem probauerimus, nunc vero repudie-mus: de hac quoque re pauca diſſerimus, &c.* poſt multa vero: *Quoniam igitur eadem voces, ſi recte intelligantur, cum pietate con-iunctæ ſunt, ſi perperam exponantur, impietate non carent: quid mi-rum, ſi Vitalis quoque verba nos quidem, ita ſuadente voluntate, in pium ſenſum accepimus, alij vero ad eorum, quæ ſcripta ſunt, men-tem exaſperantur & inflammantur? &c.*

d Gr. Naz. Cledon. aduerſus Apoll. ep. 2.

III. Quænam igitur fuerit Vitalis Romæ edita fidei con-feſſio, vt ita à Damaſo minime reiiceretur, ex iis, quæ ibi-dem Gregorius Nazianzenus habet, ſatis apparet. Quod enim Vitalis atque Apollinaris eius magiſter hæreſis ac-cuſarentur, quod affirmarent Chriſtum fuiſſe mentis ex-pertem, carnemque tantum abſque mente ſuſcepiſſe hu-manam: cum ipſe Vitalis diſertis verbis ſua fidei profeſ-ſione confeſſus eſſet in Chriſto ſicut carnem, ita & men-tem: quiſnam in tam aperta confeſſione credi poterat la-queus occultari? Sed latentem dolum aperit idem ipſe Gregorius, cum ait e: *Pias quidem dictiones conſtituntur, verum circa mentem dolum ſtruunt, non quidem animæ, nec rationis, aut mentis expertem, nec imperfectum hominem confitentes, cæterum a-nimæ ac rationis ac mentis loco diuinitatem inducunt.* & infra: *Chriſtum mentem habere praue & per quaſi ſtolide interpretan-tur; nimirum per Chriſti mentem diuinitatem ſignificari conten-dentes, non autem hunc locum more noſtro exponentes, &c.* At quid faciendum fuiſſet, quæritur, ſi verba pia atque Ca-tholica falſa interpretatione Vitalis callide corrupiſſet, falſoque ituraſſet?

e Gr. Naz. vbi ſupra.

IV. Audiamus ab Elia Cretenſi f totam hanc de Vitali Romæ cauſam actam, cum eam his verbis enarrat: *Hic igi-tur Vitalis cum apud beatiſsimum Damaſum (erat autem hic ve-teris Romæ Epiſcopus) tanquam Apollinaris ſectator accuſatus fuiſ-ſet: poſcente ſanctiſsimo illo Epiſcopo, vt fidem ſuam exponeret, eam ſcripto mandatam edidit. Et quia prima fronte recta & ſana eſſe viſa eſt: idcirco & Damaſus, & item diuinus hic magiſter,* nempe Gregorius Theologus, *eam admiſerunt, quod abditam & oc-cultam fraudem nullo modo deprehendiſſent, nec verſutam mali-gnitatem ſub verbis latentem animaduertiſſent. Etenim in ſuo de*

f Elias Cretens. apud Greg. Naz. epiſt. 2. ad Cledon.

fide

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN